

**Primae lineae medicinalis praxeos / Ex anglico idiomate Latine vertit A.B.
Beerenbroek.**

Contributors

Cullen, William, 1710-1790.
Beerenbroek, Arnould-Barthélemy, 1751-1825.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Luzac & van Damme, 1779.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vce4a6af>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



62333 / 3

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON



ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

CULLEN, W.



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30521658>
XUH3

GUILIELMI CULLENI, M. D.

*ARCHIATRI BRITANNICI ET IN
ACADEMIA EDINBURGENSI
MED. PRACT. PROF. O.*


P R I M Æ
L I N E Æ
MEDICINALIS PRAXEOS.

Ex anglico idiomate latine vertit

A. B. BEERENBROEK,
*MED. Doct. COLLEGII REGII MEDICO-
RUM ET SOCIET. MED. EDINBURG.
SODALIS.*



*LUGDUNI BATAVORUM,
APUD LUZAC & VAN DAMME,
M D C C L X X I X.*





JOHANNI DAVIDI HAHN,

VIRO CLARISSIMO,

P R A E C E P T O R I

E T

A M I C O S U O.

Observantiae

caussa

A. B. BEERENBROEK.

СИАНЬ КИМАСІ ШІЛДА

СІЛДА СІЛДА СІЛДА

СІЛДА СІЛДА СІЛДА

СІЛДА СІЛДА СІЛДА

А. Б. БЕЛЕНЬКОМУ

A. B. BEERENBROEK,
ANTVERPIENSIS,

A D

LECTOREM.

Britannos Medicos, qui artis exercita-
tione non contenti, editis etiam libris
medicinalibus publicæ saluti inservire
studuerunt, ex quo tempore mihi accuratius cog-
noscere contigit, sëpe & vehementer dolui, quod
egregia eorum scripta, quibus artem nostram au-
xerunt & cum maxime illustrant, paucorum
tantummodo manibus extra Britanniam versen-
tur, à plerisque ob sermonis anglici ignoratio-
nem legi nequeant. Unde fit, ut Respublica
humana, cui universæ Medicina dicata est, longe
minorem, quam posset & deberet, utilitatis
fructum inde percipiat.

Optavi igitur sëpenumero, ut litterati Britanni,
qui artis hippocraticæ dignitatem tueri cupiunt, ad
majorum morem redirent, atque eo sermone, qui lit-

teris maxime accommodatus est, & catholicæ Eru-
ditorum linguae honorem meretur, tam in scholis
quam in scriptis suis denuo uterentur. Cui deside-
rio si tandem aliquando responderint, facient sanc-
rem majoribus suis dignam & omnibus Europæ
populis pergratam & sibi quoque utilem; quando-
quidem ingens Medicastrorum & semidoctorum
hominum, qui artem prostituunt; numerus non
alio meliore modo minui posse videtur.

Sic ego animatus non potui committere, ut
egregius illustris CULLENI liber, qui nuper
prodiit, primæ lineæ praxeos medicinalis inscrip-
tus, illis solis pateret, qui anglice docti sunt.
Ejus proinde latinam interpretationem aggressus
sum, & Tibi, Lector beneuole! nunc offero. Quam
quidem eo lubentius suscepi, quod in Academia
Edinburgensi cum ipsum libri Autorem magna
cum admiratione audiebam, tum etiam eundem
de locis obscurioribus consulere mihi licebat. At-

que

que in ea perficienda ita me gessi, ut, quoties
alterutro peccandum esset, latinitatis minus comp-
tæ quam malæ fidei notam subire maluerim. Ita-
que spero, rerum peritos, inita comparatione,
fidelem esse versionem & menti Auctoris congruam
fassuros; præsertim cum clarissimus HAHNIUS,
cujus ut institutione in Academia Leidensi magno
cum fructu usus sum, sic amicitia adhuc fruor
semperque dignum me præstare annitar, eam re-
cognoscere haud gravatus sit.

Ipsiis libri laudes celebrare, supervacuum esse
arbitror; quippe quod in se firmissima suæ com-
mendationis præsidia habet. Complectitur enim
genuinas morborum cognoscendorum & curando-
rum descriptiones eo ordine factas, quem clarissimus
CULLENUS in synopsi nosologiæ methodicæ pu-
blicum in usum vindicavit. Adhæc nova quedam
dogmata, ingeniose excogitata, continet, quæ, utut
ab aliorum opinionibus forte aliena sunt, tamen

*in tenebris labyrinthi medici lucem accendere, &
hiatus, qui viam Medicinæ asperam difficilemque
reddunt, passim implere videntur. Illud denique
omnibus artis studiosis gratissimum, ut opinor,
accidet, quod Cullenianum hoc manuale plures
omnino morbos, quam ullus adhuc Epitomator
complexus est, eorumque curationes exhibiturum
sit. Namque Auctori propositum est, cuncta mor-
borum genera ac species, quas in tabulis nosolo-
gicis recensuit, ad eundem modum exsequi, quo
febres & phlegmasias in primo hoc tomo explica-
vit. Igitur illustri Viro, alterum operis tomum
jamjam edenti, vitam longam & sanitatem inof-
fensam precatus, Te rogo, Lector benevole! hanc
primæ partis versionem serena fronte accipias,
tuaque humanitate in cæteris pariter elaboratu-
rum me sustineas. Vale!*

Scribebam Londini a. d. xxvi. Octobris,
MDCCCLXXVIII.

P R A E-



P R A E F A T I O A U C T O R I S.

Ardua molitio est, sistema condere doctrinarum ac præceptionum, quæ Medicos in exercitio suæ artis juvare ac regere possint. Ego sane, quamquam per annos quadraginta Medicinam feci, nec parum temporis in legendo & meditando consumsi, hoc opus non sine magna animi diffidentia aggredior.

Equidem Profesoris, quo fungor, munus mihi necessitatem conscribendi hujus

x P R A E F A T I O

libri imposuit, ut studiosæ juventuti seu manuale quoddam inserviret. Optassem, ut penes illos solos mansisset, qui meas scholas frequentant, & argumenta, quibus opiniones meas illustrare & confirmare solitus sum, a me proposita audiunt. Sed usus didici, vanum hoc votum fuisse, ideoque Librum, qualis demumcunque est, fere coactus in publicum prodire patior.

Enim vero fas est, Librum, publicis usibus destinatum, publico judicio submitti. Nec sane hoc judicium recuso. Sed tamen fateor, cum syntagma Medicinæ, nostro ævo recepta, multis viderim emendationibus atque additamentis indigere, non sine anxia follicitudine meum meum systema emittere, utpote multis titulis a prioribus diversum & quasi novum.

Quod

Quod dum prodire sino, non possum,
quin Viros litteratos rerumque peritos
enixe rogem, ne in statuendo Libri, cuius
brevis & concisa dictio esse debuit, pretio
festinent, neve prius dogmata mea impro-
bent, quam penitus mentem auctoris per-
spexerint, & argumenta, quibus doctrinam
meam fundavi, diligenter exploraverint.
Animadventent, spero, propositum mihi
fuisse, ut nullam ratiocinationis sequelam
admitterem, quin eadem per observationes
practicas & facta quodammodo adstrui &
probabiliter confirmari queat. Hoc ergo
consilium, haec mihi cura cum in scriben-
do libro assidue fuerit, spes est fore, ut
controversiae super placitis meis forsitan ori-
turæ, si accuratius exigantur, in *quæstio-*

næs

XII PRAEFATIO AUCTORIS.

nes de factis desinant; quas non dubito,
quin etiam illi, qui a me dissentunt, ul-
teriori examini & judicio Virorum veri
amantium nec opinionis fascino captorum
subjiciendas esse existiment,



ELEN-

ELENCHUS.

INTRODUCTIO. - - - - Pag. 1

P A R S I.

DE PYREXIIS sive MORBIS FEBRILIBUS. 3

L I B E R I.

De F E B R I B U S.

C A P U T I.

De Februm Phænomenis. - - - - 4

C A P U T I I.

De Causa Febris proxima. - - - - 12

C A P U T I I I.

De Februm differentia, ejusque causis. - 25

C A P U T I V.

De causis Februm remotis. - - - - 36

C A P U T . V.

De Prognosi in Febribus. - - - - 43

181 - Anteuenientibus illis evitamini.

C A S U T I V

C A P U T VI.

C A P U T VI.

<i>De methodo medendi Febribus.</i>	-	Pag. 56
Sect. 1. <i>De Curatione Febrium continuarum.</i>	56	
Sect. 2. <i>De Curatione Febrium intermittentium.</i>		100

L I B E R II.

DE INFLAMMATIONIBUS sive PHLEGMASIIS.

C A P U T I.

<i>De Inflammatione in genere.</i>	- - - -	104
Sect. 1. <i>De Phænomenis inflammationis.</i>	-	104
Sect. 2. <i>De Causa proxima inflammationis.</i>	-	105
Sect. 3. <i>De Terminationibus inflammationis.</i>	112	
Sect. 4. <i>De Causis remotis inflammationis.</i>	119	
Sect. 5. <i>De Curatione inflammationis.</i>	-	120

C A P U T II.

<i>De inflammatione strictius cutanea.</i>	- -	126
--	-----	-----

C A P U T III.

<i>De Ophthalmia sive oculi inflammatione.</i>	-	128
--	---	-----

CAPUT IV.

C A P U T I V.

De Phrenitide. - - - - - Pag. 133

C A P U T V.

De Angina seu Cynanche. - - - - - 136

Sect. I. *De Cynanche tonsillari.* - - - - 136

Sect. II. *De Cynanche maligna.* - - - - 139

Sect. III. *De Cynanche tracheali.* - - - - 143

Sect. IV. *De Cynanche pharyngea.* - - - - 148

Sect. V. *De Cynanche parotidæa.* - - - - 149

C A P U T VI.

De Pneumonicis inflammationibus. - - - - 150

C A P U T VII.

De Gastritide. - - - - - - - - 172

C A P U T VIII.

De Enteritide. - - - - - - - - 180

C A P U T IX.

De Hepatitide. - - - - - - - - 182

XVI E L E N C H U S.

C A P U T X.


De Nephritide. - - - - - Pag. 188

C A P U T XI.

De Rheumatismo. - - - - - 190

C A P U T XII.

De Arthritide seu Podagra. - - - - 206



C A P U T XIII.

C A P U T XIV.

C A P U T XV.


C A P U T XVI.

C A P U T X.

P R I M Æ



PRIMÆ LINEÆ P R A X E O S M E D I C I N A L I S.



I N T R O D U C T I O.

I.

In tradenda *Praxi medicinali* docemus morbos, in singularibus hominibus existentes, agnoscere, distinguere, antevertere & curare.

I I.

Ars agnoscendi & distinguendi morbos obtinetur partim curiosa & plena observatione phænomenon, sub iis vel simul vel successorie quadam se offerentium, partim auxilio *Nosologiæ methodicæ*, quæ est ordinatio morborum secundum sua genera & species, observationibus innixa, ratiocinii hypothetici expers, qualem nos in alio libro tentavimus, ad quem in hoc curriculo sæpe provocandum erit.

A

III.

III.

Ars Morbos præveniendi nititur intellectu causarum remotarum, quæ partim in Pathologia generali tradi solent, partim in hoc opusculo exponentur.

IV.

Curatio morborum cum maxime postulat & necessariam reddit investigationem causarum proximarum. Hæc præviam requirit institutionum medicarum notitiam, id est cognitionem fabricæ, actionum & functionum corporis humani, item variarum mutationum, quas homo subire solet; denique potentiarum multiplicium, quæ illi mutationes inducere possunt. Harum vero rerum notitia imperfecta adhuc est, multis titulis dubia, nec fallaciis & erroribus carens. Itaque causarum proximarum doctrina, quæ illa nititur, multis locis ambigua incertaque sit, necesse est. Interim scientia sat ampla & acumen Iudicii multum valent in hoc, quod præcipuum Medici est, officio: ut probabilitatis gradus in singulis medicarum institutionum partibus ex æquo æstimet; ut eas tantum doctrinas tanquam Praxeos fundamenta admittat, quæ simplices, obviæ, certæ sunt; denique ut pro causis proximis illas fere solas habeat, quæ factis innituntur, parum fidens ratiocinationibus. Hæc vero via ubi ad evidentiā non dicit, Medici prudentis & circumspeti est, solam sequi experientiam, sic tamen ut a vago & fallaci empiricismo assidue sibi caveat.

V.

V.

Hic canon, hæc regula, nobis semper fuit eritque in singulorum morborum descriptione, quam nunc ordine in *Nosologia methodica* nostra proposito exsequemur.

P A R S I.

De Pyrexiiis.

sive

Morbis febrilibus.


V I.

Pyrexiae sive febriles morbi hæc habent communia: incipiunt ab horrore & aliquo frigoris gradu; sequitur caloris quoddam augmentum; adfunt pulsus solito citatiores, & virium in functiobibus animalibus quædam imminutio.

V I I.

Hæc *Pyrexiae* classem constituunt, quæ subdividi potest in quinque ordines, nempe *Febrium*, *Inflammationum*, *Exanthematum*, *Hæmorrhagiarum* ac *Profluviorum*. Confer Synopsin Nosologiæ method. 1772.

LIBER PRIMUS.

De Febribus.

C A P U T P R I M U M.

De Februm phænomenis.

VIII.

Illi morbi proprie dicuntur febres, qui præ se ferunt communia pyrexiae symptomata, (§. VI.) sed vacant affectu locali cum illis essentialiter & necessario cohærente, qualem ceteri pyrexiarum ordines semper habent.

IX.

Febres in multis occasionibus phænomena exhibent admodum varia, sive numerum, sive symptomatum diversitatem spectemus, adeoque jure dicuntur multorum generum ac specierum esse. Sunt tamen quædam omnibus ac singulis morbis hoc ordine comprehensis communia, quæ idcirco essentialia febris attributa & ejus naturam proprie constituentia habentur. Hæc præcipue investigare nostri muneris est; atque nobis videntur in paroxysmo febris intermittentis, prout ille plerumque sese habet, clarissime deprehendi.

X.

Hæc sunt phænomena in tali paroxysmo observari solita: ægrum primo occupant languor sive de-

bili-

bilitatio sensus & lassitudo & quædam motus difficultas; simul facies & extrema pallent, oris linea-
menta contrahuntur; uniuscujusque partis externa moles minuitur; talis est cutis forma, qualis ex fri-
gore admoto fieri solet; iam etiam extremæ corpo-
ris partes ad tactum solito frigidiores sunt, licet
hoc æger ipse parum adhuc animadvertat. Hic
tandem sensum frigoris ipse percipit, primo ple-
rumque in dorso, inde vero per totum corpus;
quo tempore ægri cutis ab alio explorata sœpi-
sime calidior deprehenditur. Auctus frigoris sensus
per omnia ægri membra tremorem, simulque fre-
quentes totius trunci succussus vel rigores inducit.
Postquam sensatio frigoris hujusque effectus ali-
quamdiu duraverunt, minuantur sensim, & cum
subitis ac brevibus caloribus alternant. Tandem
frigus penitus evanescit, & calor naturali inten-
sior per totum corpus erumpit, quicum color re-
dit cuti, & rubedo præternaturalis præsertim in
facie apparet. Inter hæc cutis laxatur, & gla-
brescit, attamen per aliquod tempus sicca manet.
Pristinam molem corpus imprimisque facies recu-
perant, quin & turgidiora fiunt. Calor, rubedo
ac turgor ad certum terminum crescunt, quo cum
pervenerunt, in facie apparet humiditas, quæ sen-
sim in sudorem vertitur & per totum corpus diffun-
ditur. Dum hoc fit, calor decrescit; ipse sudor
post aliquod tempus gradatim decrescens cessat;
quo facto ad solitam temperiem redit corpus, ple-
risque simul functionibus ad statum naturalem
redeuntibus.

X I.

Hæc phænomenon series paroxysmi commodam præbet divisionem in stadia *frigoris*, *caloris* & *sudoris*, sub quorum decursu magna sit mutatio in plurimis functionibus, nunc dicenda.

X I I.

Ingruente languore, pulsus sæpe tardior, semper debilior naturali evadit; accedente vero frigore contractior, admodum frequens, sæpe inæqualis fit; calore dein superveniente æquabilior, durior & plenior redditur, qua ratione ad eruptionem sudoris augescit. Quo manante, mollior minusque frequens observatur, donec sudore tandem evanescente ad rythmum suum redeat.

X I I I.

Respiratio etiam quasdam subit mutationes; in stadio frigoris parva est, frequens & anxia; major fit in calore atque liberior, sed crebra & adhuc tamen laboriosa, quoad elicitus sudor anxietatem sublevet & spiritum minus frequentem reddat atque liberiorem, qui cessante sudore in integrum restituitur.

X I V.

Nonnullæ etiam in functionibus naturalibus occurunt mutationes: ingruente frigore appetitus deficit nec redit ante finem paroxysmi vel sudorem per aliquod tempus elicitum. Plerumque quidem durante toto paroxysmo æger non solum

non

PRAXEOS MEDICINALIS. 7

non appetit, sed solida quæque, & præcipue cibum animalem, horret. Dum frigus progreditur, sæpe adveniunt ægritudo & náusea, quæ haud raro in vomitum terminantur; hic vero vomitus sæpe est materiæ biliosæ, & præcipue molestus sub finem frigoris & initium stadii calidi. Aucto tandem calore minuuntur nausea & vomitus, ac sudore erumpente, fere omnino cessant.

X V.

Valida sitis plerumque comitatur totum paroxysmum, quæ sub frigore oriri videtur a siccitate & viscositate oris atque faucium; sed in caloris studio ab ipso calore aucto pendet. Postea prout sudor manat, sic os humidius redditur, ac sitis una cum calore pedentim remittit.

X V I.

Decurrente paroxysmo, non exigua sæpe fit mutatio in secretionibus. Hanc modo memorata (§. XV) quoad secretionem salivæ & muci ostendunt; & adhuc notabiliorem observamus in urina, quæ in studio frigido coloris fere expers & sine nubecula aut sedimento est, in studio calido rubra fit, sed nullum tamen sedimentum deponit, donec post sudorem liberaliorem hypostatica fiat, & sedimentum plerumque lateritium, etiam aliquamdiu ultra paroxysmum, exhibeat.

X V I I.

Alvus raro solvitur ante finem paroxysmi; sunt tamen casus extraordinarii, ubi diarrhoea, per totum decursum continuata obtinet,

X V I I I.

Hisce secretionum mutationibus affine hoc est, quod saepe fit, ut tumores, peripheriam corporis occupantes, regnante frigore, subito & multum subsidant, solitam sub sudore magnitudinem, licet non semper, recuperaturi. Eodem modo, durante frigore, ulcera quandoque arescunt, quæ inter sudores, aut paroxysmo peracto, saniem fundere redordiuntur,

X I X.

Nec sentiendi & cogitandi facultates inoffensæ manent; siquidem sub frigore non raro sensibilitas valde minuitur, eademque dum calor advenit, non revertitur modo, sed augetur saepe,

X X,

Quod attinet ad functiones intellectuales, stadio frigido accidente, & plus minus per integrum paroxysmum, difficiles sunt animi attentio & recordatio, unde cogitationes turbatæ existunt & saepe delirium, quod aliquando sub frigoris initia, saepius autem febrili demum calori supervenit,

XXI.

X X I.

Hic quoque notari convenit, frigus cum stupore & somnolentia quandoque ingruere, quæ nonnumquam talia sunt, ut coma aut apoplexiā stimulent.

X X I I.

Cephalalgia quoque interdum mature inter horrores accedit; frequentius tamen ægrum non nisi sub æstu vexat, comitem plerumque habens temporum pulsationem. Inhæret usque ad sudoris eruptionem, quo prodeunte paulatim desinit. Ei plerumque junguntur dolores in dorso & in majorum articulorum quibusdam, similem decursum habentes.

X X I I I.

Hæc ferme phænomena sunt omnia, certe præcipua, quæ paroxysmum febris intermittentis constituunt, iuxta consuetum ordinem & successiōnem a nobis descripta. In genere tamen notandum est, illa tam multiplicia phænomena in variis casibus vario esse gradu, seriem quoque eorum modo magis modo minus perfectam; denique stadia, quoad tempus, quod occupant, diversas inter se rationes habere.

X X I V.

Febris unico paroxysmo, qualē exposui, rariſſime terminatur; sed plerumque post seriem

10 PRIMÆ LINEÆ.

phænomenon memoratam, & intermissionem quam-dam, idem revertitur, pariterque decurrit; atque hæ febris & apyrexiae alternationes per plures vi-ces obtinent, quod ubi fit, spatium temporis a fine unius paroxysmi ad initium alterius dicitur *inter-missio*; illud, quod ab initio unius paroxysmi ad principium subsequentis elabitur *intervallum* audit.

X X V.

Si febris plures habet paroxysmos, generalis observatio est, illorum intervalla esse propemo-dum æqualia, attamen in aliis febribus longiora, in aliis breviora. Omnium familiarissimum est qua-dragesima octo horarum intervallum, quæ *tertiana* periodus audit, cui proximum septuaginta & duas horas compleens *quartana* vocatur. Quædam alia etiam intervalla notantur, inter quæ unum est viginti quatuor horas complectens, unde *quoti-diana* dicitur, quæ non infrequens est: quæcun-que vero periodum quartanam excedunt, inter-valla perrara sunt, & si quandoque occurrant, ni-hil aliud esse videntur quam tertianæ aut quarta-næ periodi abnormitates.

X X V I.

Paroxysmi febrium intermittentium genuinarum minore temporis spatio quam viginti quatuor ho-rarum semper terminantur; Et licet febres non-nullæ repetitos paroxysmos habeant, sine plena *intermissione*, nihilo minus in his casibus obser-vatum

PRAXEOS MEDICINALIS. 11

vatum est, quod calor ac sudor, quamvis ante viginti quatuor horas ab earum initio elapsas non decadant, tamen multum ante id tempus mitescant & de suo impetu *remissionem* patientur, adeo ut redeunte quotidiana periodo paroxysmus quasi novus ordiatur, similisque priori decurrat. Hæc est quæ *febris remittens* dici solet.

X X V I I.

In hoc febrium genere, si notabilior remissio est, & novi paroxysmi reditus a frigore initiali clare significatur, proprium est *remittentium* nomen. Verum si modica, ut quandoque fit, remissio est, forte etiam absque sudore, nec subsequens paroxysmus a solitis frigidi stadii signis incipit, & maxime caloris exacerbatione manifestatur febris, appellatur *continua*.

X X V I I I.

Quibusdam continuis febribus remissionses & exacerbationes ita leves sunt, ut difficillime notentur ac distinguantur; quod medicos induxit, ut crederent dari febris speciem plures dies uno pene impetu decurrentis, cui *continentis* nomen fecerunt, sed nobis in diurna praxi talem febrem hucusque observare non contigit.

X X I X.

Quod typum febrium spectat, notari convenit quartanam, ut longiora cæteris intervalla habet, sic quoque protractius intensiusque frigus habere, uni-

universum vero paroxysmum reliquis breviorem; Tertianæ contra cum breviori intervallo minus longum & acerbum frigus esse, sed paroxysmum diutius protrahi; tandem quotidianam cum brevissimo intervallo exiguum frigoris, sed paroxysmum cæteris longiorem habere.

XXX.

Nonnunquam in decursu febrium typus mutatur sequenti fere modo: tertianæ & quartanæ abeunt in quotidianas, hæ in remittentes, quæ non raro in continuas transeunt. In hisce omnibus casibus paroxysmi febris solito plus protrahuntur, antequam typum frequentioris repetitionis accipiunt.

XXXI.

E quibus omnibus consequi videtur, quamlibet febrim ex repetitis conflari paroxysmis, & unam ab aliis duntaxat differre ratione circumstantium rerum & insultuum repetitione; ideoque non absurdum esse, si paroxysmum febris pure intermitentis tanquam exemplar omnium proposnamus.

C A P U T I I.

De Causa febris proxima.

XXXII.

Causa febris proxima hæcenus elusisse videtur medicorum investigationem; nec nos eam explicatus-

caturos esse confidimus, ut omnis removeatur difficultas; sed tamen ad veritatem proprius accedere conabimur, eaque saltem, quæ prixin juvare queant, proferemus.

XXXIII.

Quum æstum febrilem tam constanter præcedat frigus, hoc illius esse causam credimus; proinde quæ frigoris est, eandem omnium, quæ in decursu paroxysmi fiunt, causam esse.

XXXIV.

Ut ergo causa febrilis frigoris detegatur, animadverti convenit, manifestissima debilitatis in toto corpore signa istud frigus semper antecedere. Sane pulsus parvus ac debilis, pallor & frigus extremorum, & universi corporis contractio declarant actionem cordis & majorum arteriarum ad tempus valde debilitatam esse. Deinde languidi, tardi debilesque motus animales, imperfectæ sensationes, perceptio frigoris æstuante corpore, aliaque symptomata ostendunt την cerebri οὐρανίαν eodem tempore labefactatam. Et nobis quidem ipsa cordis debilitas, quum vix aliunde oriri possit, ab imminuta cerebri οὐρανίᾳ proficisci videtur.

XXXV.

Paullo post ostendere conabor, remotas febris causas maxime evidentes, velut contagium, miasmata, frigus, metum, sedativam vim habere,

re,

re, quod argumento est, debilitatem inducere esse. Paroxysmi febris si recurrere desierunt, revocari possunt, & vel maxime solent, potentissimis debilitantibus applicatis. Denique languor in animalibus aliisque motionibus per omnem febris decursum, vires sedativas sive debilitantes corpori admotas esse, abunde docet.

XXXVI.

Itaque evidens est tria stadia in febre constanter obtinere, *debilitatis*, *frigoris* atque *caloris*; qui quoniam certo ordine regulariter sese excipiunt, omnino videntur relationem causæ & effectus inter se habere. Hoc tanquam *factum* admittimus, etiamsi qua ratione quove mecanismo illæ conditiones se invicem excipient, interpretari nequeamus.

XXXVII.

Quomodo debilitatis stadium quædam frigoris symptomata producat, explicare non possumus, sed ad generalem referimus oeconomiaæ animalis legem, quâ sit, ut potentiae, corpori labefactando & destruendo aptæ, saepius excitent molimina, quæ virium nocentium effectus anteveruntur. Hæc celebrata in scholis medicis *vis medicatrix Naturæ* est, cui multi in febre motus tribui debere videntur.

XXXVIII.

XXXVII.

Dudum inter Medicos vixit opinio, citationem cordis & arteriarum motum, sub calore febrili notabilem, esse virium naturae medicatricium molimen. Cui opinioni subscriptentes addimus quoque aliquam frigoris partem eidem causæ esse tribuendam. Argumenta nobis sunt, quia universim frigore interveniente efficitur calor; quia frigus externe applicatum similes edit effectus; denique & præcipue, quoniam pro vario gradu tremoris febrilis calor serius aut citius ad finem vergit & ad pleniorum solutionem longiorumque intermissionem tendit. Confer. XXIX.

XXXIX.

Sedulo notari meretur, quod in febrili frigore spasmus extremas arterias ubique teneat, illas maxime, quæ in peripheria corporis sitæ sunt. Hunc demonstrant omnium secretionum suppressione & partium externarum moles imminuta; quæ, licet imminuto motui cordis, ad propellendum sanguinem in extrema vasa non sufficienti, ex parte adscribi queant, tamen cum saepè post restitutam cordis actionem maneant, satis declarant hanc constrictiōnē spasmodicā ad tempus persistare & calorem sustinere; calor enim cessat fluente sudore & aliis functionibus instauratis, quæ utique signa sunt relaxationis vasorum antea contractorum.

XL.

X L.

Hæc igitur ratio febrium proponi potest. Spasmum extremis vasis quocunque modo inductum cor & arterias irritare, & hanc irritationem manere, usque dum laxetur aut supereretur spasmus. Multa sane phænomena hanc sententiam plane confirmant; neque dubitari fere potest quin verus adsit spasmus, cordi irritamentum faciens, eoque ad causam proximam febris plurimum conferens. Quæstio tamen supereft: unde spasmus iste oriatur? utrum directe a causis febris remotis pendeat, an solummodo pars molimum, quæ medicatrix natura facit, haberi debeat?

X L I.

Nos posteriorem amplectimur opinionem: primo, quia debilitas sine dubio fundamentum febris ponit; dein, licet hoc in medio relinquatur, intelligi tamen facilius potest, quomodo debilitas seu atonia gignat spasmos, quam quomodo spasmus debilitatem inducat, quæ quidem semper plus minus apparet; porro etiam & præcipue spasmum a debilitate gigni inde conficiimus, quod intensitatem spasmi iam existentis, eiusque durationem sæpenumero ab efficacia causarum debilitantium & ab atonia inducta penderre deprehendimus; nam quo validiores sunt causæ debilitantes, quo major atonia inducta, hoc paroxysmi protractiores sunt & frequentius recurrunt.

X L II.

X L I I.

Hæc simul faciunt, ut credamus, spasmo junctam esse atoniam extremorum vasorum, & spasmī solutionem exigere toni & actionis vasorum instaurationem.

X L I I I.

Dicta illustrat atque confirmat, nī fallor, contemplatio symptomatum, quæ circa functiones ventriculi in febribus accidunt, quales sunt anorexia, nausea & vomitus. (§. XIV.) Connexio seu consensus perspirationem inter & appetitum in sanis adeo notabilis vero simile facit, tonum vasorum extremorum in summo corpore cum tono fibrarum ventriculi muscularium conspirare, adeoque defectum appetitionis cibi sub febribus seu toni in fibris ventriculi musculosis, ab imbecillitate minimorum vasorum in superficie corporis pendere. Eadem porro atonia in ventriculi fibris muscularibus sub febre probatur per frequentes admodum nauseas & vomitus, quæ plerumque ab imbecillitate ventriculi gignuntur. Denique ventriculi debilitatem, quæ vomitum inducit, tribuendam esse atoniæ vasorum in summa cute, elucescit imprimis ex observatione Sydenhami. Scilicet invadente peste assiduus sæpe vomitus fit, medicamenta quævis ex ventriculo deturbans, quem Sydenhamus superare non potuit nisi externa adhibita medicatione, eo consilio & effectu, ut sudor seu determinatio humorum ad corporis

externum habitum produceretur. Adhæc Sympathia, quæ est inter ventriculum & cutanea vasa, apparet ex eo, quod vomitus in rigore febrili tam frequens, dum instat sudor, plerumque, dum erumpit, certo certius desinat (XIV.) Nec vero incongruum est credere, vomitionem in algore febrili a natura adhiberi ad determinationem versus cutim restituendam. Præterea cum hujus connexionis, tum illius, quæ ventriculum inter & externum corpus intercedit, indicium est, quod emetica tempore frigoris ingesta & in ventriculo agentia, frigus plerumque fugare, & calorem mox inducere videamus. Eiusdem quoque communicationis evidens est signum, quod aqua frigida intus assumpta, ambitum corporis calidorem reddat, saepiusque efficacissima sit ad sudorem promovendum. Insuper hujusce connexionis argumentum inde petimus, quod frigus corpori applicatum, nisi forte perspirationem suppressat, potentissimum sit ad famem excitandam. Illud tandem considerari meretur, anne febricula illa, quæ alimentorum digestionis in ventriculo comes fere individua est, nascatur ex ventriculi impletione, fibrarum muscularium relaxatione exindeque vasibus capillaribus extremis inducta atonia? In universum, satis esse probabile putamus, anorexiæ, nauseæ & vomitus symptomata a toni defectu in vasculis cutaneis gigni, proinde hanc atoniam ad causam proximam febrium plurimum conferre.

X L I V.

Evidem intelle^ctū videtur difficile, quomodo atonia & spasmus simul existant in eisdem vasis; sed quantacunque sit difficultas in explanatione, de facti veritate persuasi sumus; idemque illis analogum est, quæ aliis occasionibus in corpore contingunt, dum spasmum ab atonia natum s^epe conspicimus.

X L V.

Hanc atoniam pendere ab imminuta cerebri energia assumimus, quam in febribus obtinere non solum concludimus ex labefactatione multarum corporis functionum jam ante memorata, sed præcipue ex symptomatibus ipsi cerebro propriis. (XXXIV.) Delirium crebro febris symptoma est; atqui ex Physiologia atque Pathologia novimus hoc produci ab inæquali excitatione cerebri seu organi intellectus; ideoque in febribus hujus organi imminutam esse energiam colligimus. S^epius quidem delirium videtur ortum ducere ex aucto sanguinis impetu in vasa encephali, unde phrenitis comes existit: non raro etiam in ardore febris occurrit cum cephalalgia & pulsatione temporum. Sed, quoniam sanguis frequenter admodum urgetur in vasa capitis inter exercitia, a calore externo, a pathematibus aliisque causis, nullo inducto delirio, supponere licet, delirium in febre ab aucto hoc motu ideo tantum progigni,

quod diminutæ cerebri actionis causa simul adsit, quæ partes cerebri ad intellectualem functionem facientes turbet nec cooperari recte sinat. Ex iisdem principiis deducimus, dari alteram delirii speciem, quæ imminutam cerebri vim plenius agnoscat, adeoque nascatur, licet sanguis impetu solito majore in vasa encephali hanc feratur; quale illud esse videtur, quod ineunte frigore febrili fit; pariterque id, quod sub æstu febrium, in quibus manifesta debilitatis signa in toto corpore sunt, contingere solet.

XLVI.

Summa nostræ de febribus doctrinæ hæc est. Causæ remotæ sunt vires quædam sedativæ nervo systemati applicatæ, quæ imminuunt cerebri energiam, & sic omnes functiones, præsertim vasorum minimorum actionem, debilitant. Ea tamen œconomiæ animalis indoles est, ut debilitas ipsa systemati sanguifero stimulum indirecte adferat; unde interventu frigoris ac spasti cum eo conjuncti, cordis & majorum arteriarum motus augetur, donec cerebri energia redintegrata & ad extrema usque vasa propagata, horum actionem instauret & spasmum tollat; quo sublato sudore ceteraque relaxatorum colatoriorum signa apparent.

XLVII.

Hæc febris interpretatio cum ad generalem ejus indo-

indolem, tum ad varietates, ut opinor, explicandas aptissima est; quod prius quam monstremus, opiniones, quæ hactenus viguerunt, nobis vero erroneæ videntur, exposuisse juvabit.

XLVIII.

Creditum est, quemdam lentorem vel viscositatem sanguinis adesse, quo croris per vasa minima impediatur transitus; & hinc stadii frigidi profluere phænomena. Sed talis lentois in humoribus ante febrem existentis nullum est indicium; tantam vero mutationem subito induci, non sinit credere superveniens præter exspectationem paroxysmus. Itaque phænomena alicui causæ in nervos sive in vires motrices œconomiæ animalis agenti adscribenda esse, verosimilius est.

XLIX.

Altera est eaque pervulgata opinio, materiam aliquam nocentem, vel inductam vel generatam in corpore, causam febris proximam efficere, & incitatum cordis atque arteriarum motum, qui magnam morbi partem facit, molimen esse naturæ medicatrix ad expellendam materiem, & præcipue ad eam sic mutandam sive concoquendam, ut vel penitus innocua reddatur vel saltem aptior ad eliminationem. Hæc autem opinio quamquam inter Medicos ab antiquissimis temporibus recepta fuerit, atque in scholis medicis fere omnibus rata

habita, maxime tamen infirmo niti talo nobis videtur. Sæpe febres a frigore, a metu, ab aliis animi motibus oriuntur, notis omnibus essentialibus comitatæ, & sudoribus terminari solitæ, neque tamen ullam materiæ morbificæ suspicionem nedum evidentiam exhibentes. Sunt etiam febres, quas cito solvit hæmorrhagia narium adeo modica, ut materies per totam sanguinis massam diffusa evacuari hoc modo nequaquam dici possit; neque intelligi potest, quî materia ad tale emunctorum deferri & per illud expelli queat. Etsi damus, materiam morbidam præsentem esse, tamen explicari nequit ratio, qua concoquatur, & ne quidem ipsis factis demonstratum est, talem mutationem locum habere. In nonnullis quidem casibus apertum est, materiam inimicam in corpus introduci & febris esse causam; sed in iisdem etiam apparet, illam materiam rursus expelli immutatam; quin febrem sæpius ante quiescere, quam materies eliminata sit; denique febrem haud raro, priusquam assumptum coctionis tempus venerit, curari posse remediis, quæ non videntur in fluida agere aut evacuationem aliquam producere.

L.

Dum eam febris notionem, qua molimen naturæ materiam morbificam coquentis & expellentis esse dicitur, rejicimus, nequaquam animus nobis est negandi, causam febris sæpe in fluida agere, eisque putredinem conciliare; quin potius crebro hoc fieri

sieri fatemur ultro. Attamen contendimus, hanc humorum mutationem non esse communem febris causam, sed saepius merum ejus effectum; neque esse rationem, cur credamus, a putridæ materiæ eliminatione pendere febris solutionem.

L I.

Invaluit etiam alia opinio heic commemoranda. Scilicet in febribus intermittentibus saepe insignis bilis copia vomitu rejicitur; unde factum est, ut multi medici insolitam bilis quantitatem, forsan & indolem, pro harum febrium causa agnoverint. Sed precario sane. Vomitus enim, undecunque productus, si saepe repetitur & vehemens est, magnam vim exserit in emulgendis ductibus biliaris, & plerumque magnam bilis copiam expellit. Atqui hoc præcipue in intermittentibus fiat, necesse est. Sanguis enim in stadio debilitatis & frigoris febrilis cum solita copia ad artus & in cutis vasa non propellatur, sed in interioribus, præsertim in systemate venæ portæ accumuletur, potest profecto bilis copiosius secernendæ opportunitatem dare. Verum tamen ad hoc symptomata biliosum maxime faciunt influxus fervidi climatis & calidæ omnes tempestates. Ab his enim cauissis corpori humano tantum non semper ea inducitur conditio, ut bilis copia solito majore generetur & probabiliter etiam indolem accipiat mutatam, quod in cholera morbo, sub tempestate calida adeo frequenti, manifestum est. Atqui tamen cholera febre haud

raro vacat. Et nos postea ostendemus, febres intermittentes verisimiliter ab alia plerumque causa proficiisci, nempe ab effluviis paludosis; cum interim nullum sit argumentum idoneum, quo earum ex sola bile origo demonstretur. Sed quoniam effluvia paludum eadem anni tempestate suas maxime exercunt vires, qua bilis mutationes contingunt; mirum certe non est, quod febres intermittentes autumnales ut plurimum bilis effusionem comitem habeant, præsertim si vomitum & alia earum symptomata simul consideremus. Sic ducimur ad credendum, bilis conditionem non esse causam, sed tantummodo fortuitum eventum a tempestate, qua vigent febres illæ, proficiscentem. Quid vero indicet & requirat in moderanda febre, deinceps videbimus.

L I I.

Ex hac præcipuarum de causa proxima febris hypothesis contemplatione apertum est, febres nequaquam ex mutatione fluidis inducta oriri; sed cuncta fere earum phænomena suadent, ut credamus, mutatam virium motricium in œconomia animali conditionem illarum causam esse. Qua in re quamquam non omnia ac singula explicare possumus, tamen hoc utile est, quod rectam investigationis viam aperuisse videamur. Nunc ergo, quæ proposuimus, hæc ad exponendas febrium differentias applicare studebimus.

CAPUT

C A P U T I I I.

De febrium Differentiis harumque causis.

L I I L

Cum plerisque medicis assumimus, primo in omni febre applicatam esse corpori potentiam, quæ ad illud lædendum & destruendum agat, & in eo motus producat a statu naturali deflectentes; deinde etiam eodem tempore in omni febre regulariter decurrente ex legibus œconomiae animalis ori-ri certos motus, eo tendentes, ut effecta poten-tiæ nocentis tollantur, aut ipsa vel corrigatur vel removeatur. Hæc duo motuum genera censentur morbum constituere. Nos posterius motuum genus, qui ad salutem tendunt, atque Naturæ medicatriæ recte tribuuntur, appellabimus *Rea-ctionem Systematis.*

L I V.

Ex dictis (XLVI.) liquet, febris præcipuas conditiones esse debilitatem, spasmum, & reactio- nem. Quæ quoniam gradu & mutua proportione inter se differunt, etiam potiora febrium discri- mina exhibent.

L V.

Ut doctrina hæc plenior sit, contendimus omnem febrem, quæ ultra naturalem diem perdurat, repetitis constare paroxysmis; & discrimina fe-

brium ex differentiis memoratis (LIV.) nascentia declarari per varias paroxysmorum conditiones & per repetitionum dissimilitudines.

L V I.

Febres in universum ex pluribus paroxysmis constare, hoc antea (XXIV. XXVI. XXVIII. XXXI.) tamquam factum proposuimus ; nunc ejus causam oportet indagari.

L V I I.

In omni febre, sub qua aliquem paroxysmorum numerum distincte observamus, singulos illorum minore quam viginti quatuor horarum spatio finiri, constanter videmus. Sed quum in febrium causa nihil occurrat, unde hoc deduci possit, pro sequela legis generalis œconomiæ animalis haberi convenit. Existit sane lex naturæ, secundum quam corpus vivum diurnis revolutionibus subjectum est. Hæc vero utrum primordiali structuræ corporis, an potentiis quibusdam assidue applicitis & consuetudinem gignentibus debeat, non potest certo definiri. Interim vicissitudines vigiliarum & somni, appetituum & excretionum, item regulares, quæ in pulsu fiunt, mutationes satis ostendunt, revolutionem diurnam in corpore humano obtinere.

L V I I I.

Ab hac diurna revolutione definiri opinamur
paro-

paroxysmorum febrilium durationem. Quæ quo-
niam in universum certis, ut in (LVII.) diximus
limitibus circumscripta est, neque alia ex re proba-
biliter deduci potest, persuadet nobis, tempus pa-
roxysmi singuli ab hac revolutione pendere & de-
terminari. Connexio illa inde etiam confirmatur,
quod, quamvis intervalla paroxysmorum in variis
febris inæqualia sint, generaliter tamen tempus
accessionis ad certam diei partem sit adstrictum; adeo
ut quotidianæ matutinis horis, tertianæ circa me-
ridiem, quartanæ sub vesperam invadere soleant.

L I X.

Adhæc considerari debet: quartanas & tertia-
nas nonnunquam in quotidianas mutari; has in
remitentes verti; remittentes in continuas; at-
que in ipsis etiam continuis ut plurimum exacer-
bationes & remissiones quotidie observari. Quæ
quidem omnia & singula efficaciam diurnæ revolu-
tionis adeo clare demonstrant, ut etiam in illis
casibus, ubi quotidianæ remissiones & exacerbations
non satis distinctæ sunt, credere tamen
fas sit, communem hanc œconomiæ propensita-
tem prævalere, & febrem ex repetitis paroxys-
mis constare, denique morbum, cui Scholæ no-
men *febris continentis* dederunt, non existere.
Et hanc doctrinam ab illis, quæ postea de mo-
tibus periodicis inter febres continuas observari
solitis dicemus, confirmatum iri confidimus.

L X.

L X.

Cum ergo probatum sit, febrem quamlibet ultra diem durantem, repetitis constare paroxysmis, proximum est, ut animadvertiscas, repetitionem paroxysmorum, ab antegressorum forma & modo pendere. Quod elucescit ex ante dictis (XXIX & XXX.) ubi monstratum est, paroxysmos, quo protractiores sint, eo citius repeti; adeoque causam frequentioris renovationis in paroxysmi protractionis caussa esse quærendam.

L X I.

Duratio æstus febrilis, sub quo reagens natura spasmum sub frigore inductum tollere molitur, præcipue determinat tempus integri paroxysmi. Hinc suspicari nobis licet, protractionem æstus vel spasmi pertinaciæ vel debiliori reactioni tribuendam esse; nec a vero videtur distare, modo hanc, modo illam obtinere causam.

L X I I.

Quamvis causa spasmi in diversis hominibus eadem esse queat, obvium est, illius intensitatem procurusque irritabilitate differre; unde data in febre reactionis mensura paroxysmus sive duratio caloris longior aut brevior evadet, pro gradu spasmi industi.

L X I I I.

Inter caussas pertinacioris spasmi in febribus

una,

una, ut opinor, clare intelligitur: sub morbis inflammatoriis est in corpore diathesis phlogistica, quam ab aucto totius systematis arteriosi tono profici sci arbitramur. Ubi hæc diathesis, prout aliquando fit, febri se comitem jungit, vehementiori spasmo febrili, adeoque protractioribus paroxysmis occasionem dare videtur. Hinc omnes febres inflammatoriæ ex continuorum genere sunt; hinc omnes quoque diathesis phlogisticae caussæ vim habent intermittentes febres in continuas convertendi. Cum igitur in continuis sæpenumero adsit diathesis phlogistica, concludimus, hanc in multis casibus esse continuitatis causam.

L X I V.

Verumtamen in multis febribus nulla diathesis phlogisticae aliusve spasti intensioris causæ praesentis signa sunt; in quibus proinde duratio paroxysmi justo longior atque febris forma continua debiliore reactioni imputandæ sunt. Et hanc veram esse causam, inde deducimus, quod in diversis febribus, ubi paroxysmi maxime protrahuntur, & ægre singuli discernuntur, gravissima universalis debilitatis symptomata observari solent. Unde colligimus, paroxysmi protractionem & formam continuitatis, a reactione debiliore profici sci, quæ tribui debeat vel magnitudini caussarum debilitantium corpori applicatarum, vel ægroti conditionibus harum caussarum actionem juvantibus.

LXV.

L X V.

Ab his principiis progressus datur ad febrium discrimina cum quadam probabilitate exponenda. Fatendum tamen, dubia & difficultates superesse, ubi ad singulares casus hæc doctrina applicatur. Evidem in explanandis intermittentibus, sive puræ & genuinæ sint, sive ad continuas magis magisque accedant, sic satis accomodata est; sed tamen in ipsis intermittentium proprietatibus interpretandis haud mediocres offendimus difficultates; majores etiam in assignanda febrium continuarum differentia, cum earum, quæ ex intermittentibus nascuntur, tum maxime illarum, quas in Nosologia eo distinximus, quod continuarum nomine præ cæteris dignas esse affirmamus. Confer Synops. nos. meth. P. IV. Cap. I. Sect. II.

L X V I.

Enim vero continuarum febrium character loco citato propositus vix sufficit; necesse igitur est, ut plenior distinctio fiat, addi: febres ex genere continuarum, quæ nihilominus ad intermittentium ordinem referuntur, eo distare a cæteris, quod ab intermittentium vel remittentium typo ortæ continuarum formam adsciverint; quod aliquam proclivitatem ad intermittentium vel saltem remittentium naturam retineant; quod pro causa evidente paludum miasmata habeant; quod indolem Epidemiæ grassantis sequantur; denique quod ple-

rum.

rumque etiam spatio viginti quatuor horarum non nisi unum paroxysmum seu unam exacerbationem & unam remissionem ostendant. E contrario febres continuæ strictius dictæ discernuntur, primo quod ad intermittentium vel remittentium naturam in nullo sui decursus stadio tendant; omnium minime post primam septimanam; dein quoniam inducuntur a contagio humano, utique a causis, quæ a paludosis miasmatibus sunt diversæ; porro animadvertingo epidemicam constitutionem; denique eo quod intra quatuor ac viginti horas tantum non semper bis exacerbantur & bis remittunt.

L X V I I.

Ex data causarum (LXIII & LXIV.) quæ longiores efficiunt paroxysmos, simulque continuorum febrium exquisite talium formam producunt, explicatione consequi videtur, remotas harum febrium caussas sic agere, ut vel diathesin phlogisticam vel reactionem debiliorem faciant. Etenim ab observatione discimus, evidenter febrium continuorum differentiam, a prædominante harum conditionum alterutra pendere.

L X V I I I.

Febres continuæ varii admodum generis haberi solebant; sed medicis tam felicibus esse non contigit, ut discrimina sedulo notaverint, aut ad generales aliquot titulos reduxerint. Antiquorum distinctio-

stinctiones non bene intelliguntur. Eorumdem vero æque ac modernorum Nosologorum divisiones, ex varia duratione petitæ, nec fundatum solidum habent, nec in praxi utilitatem. Nos cum experientiæ tum principiis supra positum consentaneum esse arbitramur, ut continuarum febrium duo genera assumamus, quatenus vel inflammatoriam irritationem, vel debilem naturam reactionem ostendunt.

L X I X.

Congruit hæc distributio ad illam, quæ febre in *inflammatorias & nervosas* partitur, in Britannia ubivis fere hodie acceptam. Priori generi *Synocha* posteriori nomen *Typhi* dedimus. Et parum curantes, an hæc nomina veterum auctoritate sancta sint nec ne, persuasi sumus, ea ex characteribus, in Nosologia propositis & ab observatione desumptis, intelligi.

L X X.

Eorundum characterum ope febres continuas in praxi facile discerni contendimus. Quod si verum est, dogmata a nobis ante tradita uberiori confirmantur.

L X X I.

Præter recensitas continuarum febrium differentias certi non sumus, aliam ullam suisce observatam, quæ fundamentalis dici queat. Enim ver-

forma continuorum maxime familiaris in his regionibus videtur combinatio esse duorum, quæ memoravi, generum ideoque eam in Nosologia nomine *Synochi* distincte proposuimus: sed tamen limites inter Synochum & Typhum accurate ponere vix licet. Nec alienum est credere, a quibus causis Typhus producatur, ab iisdem & Synochum gigni, adeoque hunc prioris varietatem tantummodo esse.

L X X I I.

Typhus plures species comprehendere videatur, de quibus tamen per observationes certas nondum plane constat. Interea certum est, complures casus a practicis notatos nullam specificam differentiam exhibere, sed meras varietates esse, oriundas ex varia causarum intensitate, ex varietate climatis & tempestatum, quibus hæ febres vident, denique ex proprietatibus corporum, quæ afficiuntur.

L X X I I I.

Ex hac conditionum varietate manant effectus quidam studiosius expendendi. Talis est fluxus bilis immoderior in decursu morbi occurrens. Hanc bilis abundantiam non negaverim existere febrium continuorum verarum subinde comitem; verum tamen eam ob causas ante propositas ad intermittentes potius pertinere, nec absurdum esse putamus, si inter notas, quibus hæ a continuis dis-

C

cerni

cerni debent, numeretur. Etiamsi vero insolita
bilis copia in febribus continuis appareat, hanc
tamen pariter atque in intermittentibus pro mero
coincidente habemus, quod tempestati anni tribui
debeat, neque fundamentum constituendæ speciei
novæ, sed varietatem tantummodo ejusdem mor-
bi præbeat.

L X X I V.

Alius effectus conditionum, quæ typhi interdum
formas variant, est putrida fluidorum diathesis. Fuit
apud veteres, estque a recentioribus illos imitari
nimium fere solitis, recepta febrium partitio
in putridas & non putres. Qua super re anti-
quorum medicorum notiones non satis correctæ
vix attentionem merentur; nuper demum stu-
diosius investigari & rectius explanari cœperunt.

Ex sanguinis e vena emissi apparente dissolu-
tione, item ex cruoris facilitate per varia colla-
atoria erumpendi, pluribusque aliis ex symptomatis
certo nunc concludimus, veram fluidorum putredi-
nem in febribus quandoque obtinere. Sed hæc dia-
thesis intermittentes non minus quam continuas sub-
inde comitatur; & inter continuas synochum æque
ac typhum; omnes vero varia admodum mensura.
Quæ res quanquam in praxi magnum momentum
habet, tamen certos limites non admittit hæc tenus,
ut distincta *putridæ febris* species constitui possit.

LXXV.

LXXXV.

Præter differentias ex rebus jam memoratis nascentes dispergant quoque febres comitatu symptomatum, quæ morbis ad alios pyrexiarum ordines pertinentibus competitunt. Quod interdum ita evenit, ut difficile sit judicatu, uter morbus sit primarius. Fere tamen semper ex cognitione causæ remotæ & ex epidemiæ grassantis indole, vel observando seriem & successionem symptomatum hæc quæstio solvi potest.

LXXXVI.

Plerique Systematici inter primarias febrium species recensent *Hecticam*; qualem tamen ut primarium morbum nobis observare nunquam contigit. Semper eam vidimus tanquam symptomata affectionis alicujus topicæ, imprimis internæ suppurationis; & talem quoque alio loco describemus.

LXXXVII.

Intermittentium varia differimina hoc loco non prosequuti sumus, quoniam ex antedictis (XXV. XXVI. & XXVII.) facile intelligi, & uberioris etiam ex Nosologiæ methodicæ P. IV. Cap. I. Sect. I. cognosci possunt.

CAPUT IV.

De Causis Febrium remotis.

LXXXIII.

Quum febris præcipue in cordis & arteriarum vehementiore actione consistere crederetur, Medici pro causis ejus remotis habuerunt stimulus quosdam directos, illam vehementiam actionis inducere valentes. In multis tamen casibus tales stimuli nequaquam apparent; iidemque, ubi re vera applicati sunt, vel solunimodo ad tempus frequentiorem pulsum faciunt, quod pro morbo haberi nequit; vel, si forte commotionem vere febrilem excitant, hoc præstant interventu topicæ inflammationis, quæ morbum gignit, a febre stricte dicta discrepantem.

LXXXI.

Stimulos directos esse causas febris remotas id eo etiam verosimile non est, quoniam hæc Hypothesis ad phænomena incipientium febrium explicanda non valet; quin etiam causæ certiores assignari possunt.

LXXX.

Quandoquidem febres utplurimum epidemica sunt, verosimile est, materiem aliquam in aëre fluitantem, corporibusque humanis adhibitam constituere febris causam remotam. Hæc aëri inqui

inquinamenta, homines afficientia, possunt tanquam *Miasmata*, vel tanquam *Contagia* considerari.

LXXXI.

Miasmatum varii & fontes & species esse possunt; sed varietates & effectus illorum nos pene latent. Unum duntaxat certo novimus febri cendiæ aptum, cuius vis tam late patet, ut dubium sit, an ab hoc diversum existat aliud ullum.

LXXXII.

Miasma hoc, febrium frequentissima causa, surgit ex humidis & paludosis terræ locis, calore agitatis. Observationes sane innumerabiles, in plurimis & distantibus terræ regionibus factæ, non sinunt nos dubitare amplius, quin hoc effluvium non modo febres producere valeat, sed omnino frequentissima intermittentium omnis generis causa sit. Similitudo climatis, anni tempestatum ac soli, sub quibus intermittentes febres grassantur, & parilitas morborum variis in regionibus nasci solitorum, consentiunt ad probandum, existere unam & communem horum morborum causam, & hanc esse paludosum Miasma. Hujus vero natura & indoles, item discrimina, si dentur, nos adhuc latent. Et probabile est, non dari diversas species, sed omnes differentias vel ab intensitatis gradu, vel a Miasmatis in dato spatio quantitate produci.

LXXXIII.

Proximum est, ut *Contagia* expendamus. Horum quoque magna dicitur varietas esse. Nec nego, esse posse, sed tamen ex illis, quæ hactenus nota sunt, haud ita apparere affirmo. Utique genera ac species morborum contagiosorum, quæ classe Pyrexiarum comprehenduntur, non sunt magno numero. Pertinent autem cuncta ad ordinis febrium, exanthematum ac profluviorum. Num etiam contagiosæ dentur phlegmasiæ, dubium est; & si assumantur, tamen numerus Pyrexiarum a Contagio nascentium inde non multum augebitur. Quod exanthemata contagiosa atque profluvia spectat, in his numerus specierum satis certe determinatus est; singulæ vero propriam habent indolem, adeo ut, cum per plura jam saecula & in multis variisque terræ locis observatae sint, tamen semper & ubivis eundem characterem monstrant, neque sibi dissimiles sint, nisi in quibusdam rebus, quæ tempestate, climati, aliisque externis causis vel ægrotorum proprietatibus tribui queant. Unde vero simile fit, primo in unaquaque specie naturam contagii esse unam & constantem; deinde numerum exanthematum & profluviorum contagiosorum vix esse illo majorem, quo species in systematibus nosologicis jam sunt descriptæ.

LXXXIV.

Cum igitur contagiosorum exanthematum atque

que profluviorum limitatus sit numerus , haud sane magna pyrexiarum a contagio nascentium varietas esse potest , nisi forte inter genera ac species continuarum febrium existat. Harum vero genera si non male a nobis sunt determinata , credibile est , contagia , quibus inducuntur , non admodum diversa esse ; atque hoc multum confirmabitur , quando adstruxerimus , unum existere principem , & forte communem omnium contagiorum fontem.

LXXXV.

Atqui vero notum est , effluvia e corpore humano vivo assidue manantia , si diutius eodem i^u loco stagnent neque per aëra diffundantur , deleteriam vim tantam nancisci , ut corporibus vivis applicata febres admodum contagiosas gignant. Nuperrimæ observationes de Carcerum & Nosocomiorum febribus existentiam hujus causæ plenissime probarunt. Et sane apertum est , hanc eandem venenatam materiem in pluribus aliis locis gigni posse. Ipsarum etiam febrium , quæ sic nascuntur , indoles dicit nos ad credendum , virulentiam effluviorum humanorum esse communem earum causam ; siquidem sola symptomatum ratione inter se differunt , id , quod anni tempestatis , climati , cæteris rebus cum contagio concurrentibus ejusque efficaciam variantibus tribui potest.

LXXXVI.

Quanquam contagia, ut ante dixi, per Atmosphærā diffusa sunt, notandum tamen est, illa neutiquam operari, nisi locis, unde fluxerunt, vicina sint, hoc est, vel hominum corporibus, e quibus cum maxime manant, vel aliis rebus, quæ ex contactu humanorum corporum effluviis talibus imprægnatæ fuerunt, in quibus subinde ad longum tempus activa permanent. Hujusmodi res, activo viru imbutæ, appellari possunt *fomites*; mihique vero videtur simile, contagiones ex fomitibus oriundas majorem vim habere, quam quæ ab ipso humano corpore directe veniunt.

LXXXVII.

Huc usque probabiliter ostendimus, causas febrium remotas (VIII.) præcipue miasmata vel contagia esse; neutrorum vero magnam diversitatem. Miasmata porro intermittentes, Contagia vero continuas febres producere contendimus. Verumtamen terminis hisce generalibus vix nobis uti licet. Etenim contagionis idea proprie materiem indicat e corpore hominis morbo correpti exhalantem; Miasmatis vero nomen significat materiem ab aliis rebus proficiscentem. Cum igitur continuarum febrium causa ex aliis fontibus præter corpus humanum fluere, atque tunc vere Miasma dici possit, cumque alia insuper Miasmata morbos contagiosos producere queant, non incon-

congruum fuerit, ad causas febrium recte distinguendas, appellatione *paludosorum* vel *humano-rum Effluviorum* potius uti, quam indefinitis Miasmatum vel Contagiorum nominibus.

LXXXVIII.

Quamquam febres ex paludosis vel humanis Effluviis in universum oriri contendimus, non tamen omnino excludere alias quasdam causas remotas audemus, quæ in febrium generatione vulgo creduntur aliquam partem habere; ad has idcirco perpendendas nunc progredimur; primo loco consideraturi vim frigoris ad corpus humana applicati.

LXXXIX.

Actio frigoris in corpus vivens sub diversis conditionibus adeo diversa est, ut explanatio ejus perdifficilis sit; quæ idcirco cum quadam diffiden-tia a nobis instituitur.

Frigus manifestam vim sedativam sub certis conditionibus habet. Potest sane ipsum vitæ principium non tantum in singularibus partibus, sed etiam in toto corpore extinguere. Quod si reputemus, quantum vis vitalis animantium a calore pendeat, vix dubitare possumus, quin frigori semper plus vel minus facultatis sedativæ naturaliter competit.

Neque tamen minus certum est, frigus aliquan-do in corpore vice stimuli fungi; præcipue in sanguiferø systemate.

Præter sedantem atque stimulantem vim, est etiam frigus fortiter adstringens; quippe quod vaſa in universo corporis habitu contrahit; ideoque pallorem ac perspirationis suppressionem producit. Nec improbabile est, hanc conſtrictionem cum universo corpore communicari, ideoque frigus corpori admotum, virtutem tonicam in toto ſystemate exferere.

X C.

Varia illa frigoris effecta haud ſimul & ſemel obtinent; ſed diversimode complicari poſſunt. Vis stimulans ubi ſe exferit, modera- tur effectus a vi ſedativa alioquin producendos, quin etiam ex parte effectus virium adstringen- tium. Sed eadem virtuti tonicæ plerumque ſic adjuncta eſt, ut ab hac ex parte pendere vi- deatur.

X C I.

Quibus præcipue in casibus hæc diversa frigo- ris effecta locum habeant, difficile eſt judicatu. Sed vitiorum, quæ inde oriuntur, quatuor poſſunt ge- nera conſtitui. Primum eſt diathesis phlogistica uni- versalis, quam plerumque comitatur Rheumatis- mus vel alia phlegmasia. Alterum eſt Catharrha- lis affectio. Tertium Gangræna. Quartum denique febris ſtrictæ dicta, in qua gignenda aetio frigo- ris cum paludum aut hominum Effluviis plerum- que concurrit.

Frigus in universum tanto potentius agit, quanto magis corporis vires, & ſpeciatim vigor circu- lationis infirmata ſunt.

XCII.

X C I L.

Præter frigus aliæ sunt potentiae procreandis febribus idoneæ, velut timor, immodica potatio, Veneris abusus, similes causæ, quæ manifestam corpori debilitatem inferunt. Harum vero sedativarum potentiarum an una aliqua seorsim possit causam febris remotam constituere; num potius concurrentibus miasmatum vel hominum effluviis egeant; an tantum actionem frigoris adjuvando operentur? In dubio est.

X C I I I.

Recensuimus præcipuas causas febrium remotas. Nunc addere licet: febres inde serius ocyus cieri, prout miasmata & contagia magis minusve efficacia sunt, vel concursu frigoris aliarumve potentiarum debilitantium plus minus juvantur.

C A P U T V.

De Prognosi in Febribus.

X C I V.

Quum febres (juxta XLVI. & LIII.) ex morbosis ac salutaribus motibus ac symptomatis content, flexus illarum ad salutem vel ad perniciem, sive prognostica in febribus, determinari solebant ex supputatione symptomatum ab una parte prævalentium. Nec sane perperam; dummodo certa distin-

distinctio esset inter morbosa & salutaria symptoma. Verum reactionis sive medicatricis naturæ in curandis febribus operatio tam obscura adhuc est, ut varia ejus molimina explicare & ad prognosin determinandam adhibere nondum possumus; quam idcirco ex symptomatibus, quæ ad mortem tendunt, melius deduci putem.

X C V.

Hic modus prognoseos in febribus constituenda fundatur notitia causarum, quæ mortem in universum, & præcipue in febribus, inferre solent.

Causæ mortis generales sunt vel directæ vel indirectæ.

Prioris generis sunt, quæ in principium vitale systemati nervoso inhærens directe agunt, vel organa cum illo proxime conjuncta destruunt.

Posterioris generis sunt omnia, quæ functiones oeconomiæ animalis, ad sanguinis circulum adeoque ad principium vitale sustentandum necessarias interrumpunt.

Inter causas generaliores, quæ in febribus præcipue operantur, duæ eminent.

Prima est *Reactio nimis violenta*, quippe quæ vel forti & repetito impetu vim vitalem pessundat; vel vehementia sua structuram cerebri ad actionem principii vitalis necessariam pervertit; vel eodem impetu organa ad sanguinis distributionem absolute necessaria destruit.

Secunda causa, quæ mortem in febribus induce-

ducere valet, potest esse venenūm, hoc est, potentia quædam vi vitali destruendæ apta. Atque hoc vel ipsum Miasma aut Contagium est, quod causam febris remotam constituit; vel est matræs putrida sub febre generata. Utroque in casu hæc vis vel genus nervosum imprimis afficiendo debilitatis symptomata producit, vel in massam sanguinis agendo huic perinde ac succis ab eo secretis putridam diathesin conciliat.

X C V I.

Ex his omnibus manifestum esse opinor, signa eventus lethalis in febribus esse: symptomata *reactionis nimium violentæ, debilitatis magnæ; denique proclivitatis ad putredinem in humoribus.* Quibus positis singula hæc symptomata nunc accuratius expendenda sunt.

X C V I I.

Reactionis nimis violentæ signa sunt:

- 1°. Aucta vis, durities ac frequentia pulsus;
- 2°. Calor corporis auctus;
- 3°. Symptomata, quæ diathesin inflammatoriam in universum & speciatim determinationem humorum ad caput, pulmones, aliave nobilia viscera patefaciunt;
- 4°. Symptomata, quæ caussam violentæ reactionis indicant, hoc est, vehementem spasmus ex suppressione naturalium excretionum cognoscendum.

XCVIII.

XCVIII.

Debilitatis magnæ signa sunt,

In functionibus animalibus:

1°. Motuum voluntariorum debilitas.

2°. Eorundem anomalia ex debilitate proficisciens;

3°. Sensuum languor;

4°. Languor & inæquabilitas functionum intellectus.

In functionibus vitalibus:

1°. Pulsus debilis;

2°. Frigus seu contractio extremerum partium;

3°. Proclivitas ad animi deliquium in situ erecto;

4°. Respiratio debilis.

In functionibus naturalibus:

1°. Debilitas ventriculi, quam anorexia, nausea & vomitus declarant;

2°. Excretiones involuntariæ ex sphincterum paralysi;

3°. Deglutitio impedita ex musculorum fau-
cium resolutione.

XCIX.

Denique symptomata, quæ putredinem in humoribus declarant, sunt

1°. In stomacho, cibi animalis fastidium, nau-
sea & vomitus, sitis ingens & acidorum deside-
rium:

2°. In

2°. In sanguine, a) sanguis e venis missus, non coagulans pro suo more; b) hæmorrhagiæ ex variis corporis partibus, sine impetus aucti signis; c) factæ sub cute vel epidermide effusiones, petechiarum, macularum ac vibicum forma; d) effusiones flavi seri sub cuticula.

3°. In excretionibus: dejectiones alvi crebræ, liquidæ, & fœtentæ; urina saturato colore turbida; sudores olidi; fœtor vesicantium.

4°. Denique cadaverosus universi corporis odor.

C.

Hæc quidem symptomata frequenter admodum in facienda prognosi suam singula vim habent; sed tamen maximam ex concursu suo & nexu mutuo nanciscuntur.

C I.

Circa prognosin notari porro convenit, multos Medicos in hac fuisse sententia, ut crederent, in ipsa febrium natura existere aliquid, quo duratio eorum definiatur, quodque efficiat, ut in sanitatem vel in mortem certis morbi periodis terminentur. Hæc periodi *Dies critici* nuncupatae sedulo ab Hippocrate, aliisque inter veteres Medicos, quin etiam a multis recentiorum & excellentibus in arte viris notatae sunt; verum tamen alii inter modernos nec auctoritate destituti medici negant, in regionibus borealibus, quas incolimus, tales in febribus periodos obtinere.

C I I.

C I I.

Ego quidem arbitror, veterum imprimisque Hippocratis doctrinam de crīsibus certo niti fundamento; quin veram rectamque nostro etiam sub climate esse.

C I I I.

In hanc ducor sententiam *primo*, quod oeconomiam animalem video in motus periodicos proclivem cum ex propria constitutione tum ex facilitate, quam habet, iis affluescendi; *secundo*, quia motus periodicos inter corporis humani ægritudines constanter ordinateque recurrentes animadverto, ut in febribus intermittentibus multisque aliis morbis.

C I V.

Ex his verisimile fit, posse statos motus periodicos in continuis febribus obtinere; eosdemque revera existere, usus ipse mihi declarare videtur.

C V.

Dies critici, quibus febrium continuarum terminaciones potissimum contingere credimus, sunt, *tertius*, *quintus*, *septimus*, *nonus*, *undecimus*, *quartus decimus*, *decimus septimus ac vicesimus*, quem ultra non numeramus; licet enim febres hunc terminum aliquando excedant, hoc tamen perrarum est; neque sat magna observationum copia nobis suppetit, ut decursum talium febrium de-

definire possemus; adhæc vero simile est, in febribus ultra protractis, motus fieri minus ordinatos & minus regulares, ideoque difficilius observabiles.

C V I.

Dies modo memoratos vere criticos esse ab ipsis factis, quæ in Hippocraticis scriptis notata sunt, demonstrari opinor. Ex his enim, opera clarissimi DE HAEN undique collectis, liquet, ex centum & sexaginta tribus febrium terminationibus, quæ intra viginti ab initio morbi dies contigerunt, esse centum & septem, adeoque plures, quam duas tertias totius numeri, quæ in unum ex octo ante memoratis diebus inciderint; nullam vel secundo morbi die vel decimo tertio accidisse; diebus autem octavo, decimo, duodecimo, decimo quinto, decimo sexto, decimo octavo & unde-vicesimo non nisi octodecim factæ judicationis exempla fuisse, quæ una tantum nona pars totius febrium numeri est.

C V I I.

Quum terminationes, quæ septem diebus novissime memoratis accidentunt, oppido raræ sint, & in singulis earum rariores, quam in singulis diebus, quos criticos esse assūmimus, sequitur, novem esse dies, quos *acriticos* appellare licet. Cum e contrario terminationum, quæ in septimo, decimo quarto & vicesimo die fiunt, magnus numerus sit, evidens est, hos non tantum lato sensu criticos

D

esse,

esse, sed omnino criticorum principes. Potentia reliquorum dierum criticorum in sequentibus ex analogia quadam confirmabitur.

C V I I L

Cum præterea terminationum salutarium ac perfectarum ne decima quidem pars diebus acriticis contigerit; illarum autem, quæ perniciem adferabant, quamvis numerus major in dies criticos inciderit, plures tamen quam tertia pars diebus non criticis factæ sint: utique verosimile est, oeconomiam animalem ad observandos dies criticos esse natura comparatam; neque, nisi ab irregulari quādā & violenta causa, rerum eventus ad dies a-criticos interdum devolvi.

C I X.

Quæ dicta sunt, satis probabiliter monstrant, universalem oeconomiæ animalis dispositionem esse, per quam motus periodici in febribus ad dies potissimum criticos adstringuntur. Fatendum simul est, sic modo generalem esse illam dispositionem, ut in casibus singularibus multa occurrant impedimenta, quæ cursum ejus regularem turbent. Quanquam igitur principes ac spectabiliores in febribus continua exacerbationes diebus criticis fiunt, quotidie tamen veræ etiam accidunt, quæ certis de causis momentosæ & criticæ fieri possunt. Præterea, etsi fe-

febres intermitentes certa quasi lege ad tertianam vel quartanam periodum adstrictæ sunt, notum tamen est, conditiones subinde existere, quæ regularem hunc ordinem impediunt, & febres vel anticipantes vel postponentes efficiunt, adeo, ut paroxismorum dies penitus mutentur; & sane fas est credere, in continuarum febrium exacerbationibus simile quid fieri, eoque regularem critico-rum dierum seriem interturbari.

Luculentum hujus rei documentum præbet sextus febrium dies. Nam, cum in Hippocratis scriptis multa judicationum hoc die factarum exempla prostent, idecirco tamen diebus criticis non annumeratur; quoniam terminationum in illum incidentium nulla salutaris deprehenditur; major numerus exitialis est; reliquæ vero omnes imperfæ, & recidiva infames. Quæ quidem omnia declarant, causam violentam aliquam in his casibus a consueto naturæ cursu deviationem produxisse, ac judicationem sexto die nil aliud esse, quam septimi anticipationem; ex quo simul septimi potentia clarius elucescit.

C X.

Hæc de Diebus criticis doctrina incongruis quibusdam narrationibus, quæ in scriptis Hippocrati attributis occurunt, intricior facta est: sed hujus confusionis ratio esse videtur, primo, quod illi libri variorum auctorum sint; deinde, quod

etiam maxime genuina Hippocratis opera hinc irre corrupta fuerint; propterea que quidquid factis ante allatis repugnat, uni alterive harum causarum recte tribui potest.

C X I.

Illud præterea dierum criticorum doctrinam in primis vitiavit, quod Hippocrates ipse festinatius, quam pars erat, generalia tradere præcepta & completam theoriam pythagoricis de numerorum efficacia commentis nixam condere studuit.

Hinc enim dogmata de diebus imparibus, item de quaternaria ac septenaria periodo, quæ adeo frequenter in Hippocratis scriptis occurunt, fluxisse videntur. Hæc tamen cum veris factis supra allegatis contraria sunt, tum etiam, quod Asclepiades ac Celsus jam olim notarunt, inter se pugnant.

C X I I.

Igitur dies criticos, quos ante nominavimus, revera dies criticos Hippocratis esse, & naturæ convenienter explanari sequenti modo posse contendimus.

C X I I I.

Ob tertianæ vel quartanæ periodi in febribus intermittentibus universalitatem, dubium esse nequit, quin in œconomia animali quædam existat proclivitas ad periodos hasce observandas; & sane dies critici ante memorati ad hanc œconomia dispon-

dispositionem congruunt; siquidem omnes vel tertianam vel quartanam periodum signant. Hæc tamen periodi non promiscue positæ sunt, sed sua quasi stadia sub morbi decursu constanter servant; sic ut a principio ad diem undecimum tertiana periodus obtineat; ab undecimo autem ad vicesimum & forte ultra quartana periodus æque constanter observetur.

X C I V.

Quæ causa sit mutationis periodorum circa diem undecimum, nobis non clare innotuit; factum nihilominus certum est; nullum quippe terminationis exemplum decimo tertio die, id est, prima post undecimum tertiana periodo exstat. Contra ea ad diem decimum quartum, decimum septimum ac vigesimum, qui quartanas denotant periodos, quadraginta tria judicationum exempla sunt; nec, nisi sex, mediis inter hos diebus.

Hæc quartanæ periodi prærogativa nullum relinquit dubium, quin dies criticus ab Hippocrate notatus sit morbi vicesimus, non autem vicesimus primus; tametsi in vulgari Aphorismorum editione, ad manuscriptum mendosum, quo etiam Celsus usus fuisse videtur, facta, primus post vicesimum memoretur.

C X V.

Quandoquidem cum illa generali systematis proclivitate concordat proposita dierum criticorum series, vera omnino esse videtur; nec nisi una su-

pereft difficultas in adstruenda nostræ & Hippocratis doctrinæ harmonia; nempe frequens quarti diei tamquam critici mentio. Evidem plura judicationum quarto die factarum exempla sunt, quam aliis quibusdam diebus, quos vere criticos esse asseruimus. Attamen ob repugnantiam universalis illius proclivitatis & alias quasdam considerationes quarto nomen & dignitatem diei, naturaliter critici, non concedimus; existimantes, terminacionum, quæ hoc die reapse contigerunt, exempla inter anomalias haberi debere, quæ in hoc rerum ordine haud infrequentes sunt.

C X V I.

Sic doctrinam de diebus criticis vindicare tentavimus, confisi maxime factis casibusque, quæ in Hippocraticis scriptis reperiuntur. Nunc possemus plura alia tam veterum quam recentium auctorum testimonia adferre; sed fatendum nobis est, inter hæc nonnulla esse, quæ potius ex veneratione Hippocratis, quam a studiosa naturæ observatione profecta esse videantur.

C X V I I.

Multi hodie Medici dierum criticorum prærogativam non agnoscunt; quorum quidem opinio nobis negligenda videtur. Cum enim difficilis & fallax sit decursus febrium continuarum observationio, facile fieri potuit, ut regulares progressus homi-

hominem in obſervando non ſatis cautum aut præjudiciis laborantem effugerint.

C X V I I I.

Nos quidem obſervatio & uſus docuerunt: febres mitioribus ſymptomatis ſtipatas, nempe ex synocharum genere, intra novem dies vel citius frequenter terminari, & tantum non ſemper uno alterove dierum criticorum, qui in hanc cadunt periodum; ſed oppido raru[m] eſſe in hoc clima-te, ut typhus aut synochus ante diem undeci-mum judicetur; atque ſi contingat hoc die cri-fis, eam plerumque lethalem eſſe. Ultra vero protractarui febrium terminationes ſatis conſtan-tet vidi decimo quarto, decimo septimo, vel vi-cesimo die factas.

In his caſibus ſalutares terminationes vix un-quam evacuatione aliqua notabili comitatæ ſunt. Frequenter quidem appetet sudor, ſed raro pro-fuſus eſt. Vix unquam terminationes vere cri-ticas & plenas obſervavi, vel vomitu, vel alvi dejectionibus, vel evidenti mutatione urina-rum factas. Quæ morbi ſolutionem nobis in-dicant, ſunt imprimis ſomnus & appetitus ex parte redeuntes, delirii ceſſatio, & pulſuum fre-quentia remittens. His signis poſſumus morbi cri-fin ſæpe agnoscere; ſed ſubita atque perfecta cri-fis raro cernitur. Frequentiſſimum vero eſt, ut ex bonis quibusdam ſymptomatis, die quodam

critico contingentibus, augurari & prædicere nobis liceat, futuram proximo die critico pleniore morbi solutionem.

Denique firmiter persuasus sum, si observatio-
nes intento ad naturam præjudiciis vacante animo
instituantur, conclusionem rationis eam fore,
quam docti & sagacis GAUBII verba exprimunt:
fallor ni sua constiterit HIPPOCRATI auctoritas,
GALENO fides, NATURÆ virtus & ordo.

C A P U T V I.

De Methodo medendi febribus.

S E C T I O I.

De Curatione Febrium continuarum.

X C I X.

Quandoquidem omnes agnoscunt, in omni febre, quæ cursum suum absolvit, Naturam molimina ad salutem tendentia facere, videri posset febrium curatio soli naturæ relinquenda, neque arti nostræ aliud officium esse, quam ut operationes naturæ juvet & moderetur, suasque adeo indicatio-
nes ad hunc scopum componat. Nobis vero hæc methodus nequaquam probatur, propterea quod Naturæ operationes nec satis certæ sunt, neque a nobis tam plene intelliguntur, ut eas recte moderari queamus. Utique fides illis habita videtur nobis haud raro inertem & ignavam praxin me-
dici-

dicinalem peperisse. Omninoque curiosam ad naturæ operationes attentionem sæpe supervacuam esse opinamur.

C X X.

Igitur propositum nobis est, causam febris proximam maxime considerare, indicationesque ea ratione facere, quæ progressui febrium ad mortem maxime contraria sit.

Quæ supra de prognosi febrium dicta sunt, tres nobis indicationes generales in cura febrium continuarum suggerunt.

Prima est: reactionis vehementiam moderari;

Altera est; amovere causas debilitatis, aut obviā ire ejusdem effectibus;

Tertia denique est: putredinem humorum prævertere aut corrigere.

C X X I.

Primæ indicationi, quæ reactionis moderamen spectat, satis fieri potest:

1°. Cunctis remediis, quæ cordis arteriarumque motum minuunt;

2°. Iis auxiliis, quæ spasmum ab extremis vasis, utpote præcipuam reactionis violentæ causam, removent.

C X X I I.

Cordis arteriarumque actio minui potest,

1°. Vitando vel moderando omnia irritamenta, quæ vario gradu tantum non semper corpori sunt applicata.

D 5

2°.

- 2°. Usu potentiarum quarumdam, quæ sedant,
 3°. Minuendo tensionem & tonum systematis
 arteriosi.

C X X I I.

Irritamenta (CXXII. 1°.) tantum non semper præsentia sunt impulsus sensuum; corporis mentisque exercitatio; alimentorum usus. Harum rerum evitatio, quanta esse potest, utique earum moderatio, *regimen antiphlogisticum* proprie constituit, quod in omni fere febre continua usu venit.

C X X I V.

Hoc Regimen sequentibus præceptis & cautelis finitur:

1°. Externorum sensuum impulsus, utpote corpus stimulantes, ejusque vim agendi incitantes, quoad fieri potest, vitari debent; illi potissimum, qui constantius appliciti manent, qui vehementiores sunt, denique, qui dolores ac molestias creant. Inprimis vero calor externus maximè curà fugiendus est; simulque cæteræ res omnes, quæ internum corporis calorem adaugere possunt, vitandæ sunt. Duplex hæc cautio simul est adhibenda atque calor febrilis plene erupit, & continuanda, quamdiu durat, nisi, quando sudor necessarius est, aut ubi stimulantes caloris effectus compensantur conditionibus quibusdam, quæ eundem calorem producendæ relaxationi & revulsioni aptum & opportunum reddunt.

2°. Cor-

2°. Corporis motus omnes maximeque illi, qui propriis ipsius musculis perfici debent, vitandi sunt; isque ægri situs diligendus, sub quo paucissimi musculi agunt, & ne unus quidem diuturna contractione fatigatur. Sermocinatio quoque, utpote respirationem incitans, in primis fugienda.

Notari convenit corpus, quo debilius est, hoc vehementius ab omni motu stimulari.

3°. Mentis quoque exercitatio corpus stimulat, ideoque omnes ad cogitationem, maximeque ad animi motus aut perturbationes ducentes impulsus, quanta fieri potest cura, vitandi sunt.

Hoc tamen de omni impressionum genere vitando præceptum unam exceptionem admittit, nempe in delirii accessu; quando quidem solitæ res ægrorum sensibus tunc objectæ mentem ab imaginibus præpostere ortis avocare possunt.

4°. Cum præterea recens in stomacho alimento semper irritamento sit corpori, oportet in vicetu summa moderatione uti: quin etiam, ex toto ad aliquod tempus abstinuisse, utile esse potest. Talis vero abstinentia quoniam protrahit nequit, diligent ciborum delectu habito, cavendum est, ne noxius ex assumtis stimulus nascatur. Atqui vero credimus, alimenta, quo magis sunt alcalescentia, hoc fortius stimulare; ideoque necessariam esse evitatem animalis cibi cujuscunque, & solis vegetabilibus utendum esse arbitramur.

Po-

IVZZO

Potulenta quoque stimulo esse possunt; ideoque aromatica & spirituosa vitari, &, ut plenius præsenti indicationi satis fiat, a fermentatis liquoribus cunctis præter admodum tenues abstineri debet. Aquosa, quæ acidis admixtis aliquam saporis gratiam conceperunt, deinceps inter remedia commemorabimus.

CXXV.

Præter hæc irritamenta corporis quasi assidua sunt alii stimuli, qui, quoniam febres, etsi non necessario, tamen plerumque comitantur, curari & removeri debent.

Et primo quidem sensus sitis, cum semper uno vel alio modo potenter stimulet, semper ablutionem sui indicat,

Deinde cruditates, aut corrupti in ventriculo humores, frequenter quoque stimulant; ideoque vomitu, dilutione, vel acidorum usu, tolli debent.

Sæpe etiam stimulo est sterlus præter naturam in intestinis retentum, quod repetitis clysteribus laxantibus educi oportet.

Quartus denique stimulus, quem sub febribus semper suspicari debemus, est quædam humorum omnium acrimonia, partim a motu & calore auctis, partim ab excretionibus imminutis gigni solita. Hæc anteverti vel removeri debet copioso blandi antiseptici liquoris potu.

CXXVI.

C X X V I.

Irritationum in omnibus his casibus (CXXIII. & IV.) evitatio regimen antiphlogisticum constituit, ad violentiam reactionis moderandam omnino necessarium; atque, ut nos opinamur, omnibus continuarum febrium conditionibus congruum; quandoquidem stimulorum usus incertus fere est, neque in eorum, quos ante memoravimus, applicatione justa mensura facile observari potest.

C X X V I I.

Alterum genus remediorum (CXXI. 2°.) quæ Reactionem nimiam temperant, sunt potentiae quædam sedativæ, quæ totius corporis & præcipue sanguiferi systematis agitationem moderari possunt.

Has inter primo loco censenda est frigoris applicatio. Calor est præcipuus actus animalium naturæ fultor; ideoque calorifica quædam facultas corporibus insita est; sed tamen observamus, calorem internum facile mensuram excedere, nisi ab atmosphæra minus calente identidem temperetur. Quare, quoties potentia calorifica in corpore præter nodum aucta est, quod in febribus plerumque sit, non solum omnia, quæ calorem ultra augere possunt, vitari debent, sed omnino expedire idetur aëris frigidioris applicatio, saltem plerior & liberior quam in sanitate admissio. Capta uper in variolis atque febribus continuis experimenta

menta evincunt, aëris frigidi ad corpus liberalem admissionem potentissimam esse in reactionis violentia compescenda. Hoc autem remedium quo modo operetur, quibus febrium conditionibus peculiariter accommodatum sit, quasnam cautiones postulet, non ausim prius definire, quam ab experientia plenius informati fuerimus.

CXXVIII.

Inter potentias sedativas ad febrium curationem utiles secundo loco sunt quædam medicamenta, quæ apud Materiæ Medicæ Scriptores *Refrigerantium* nomine veniunt. Eminent vero cujusvis generis Acida, modo satis diluta, quæ multiplici titulo continuis febribus conveniunt. Inter hæc Vitriolicum ac Vegetabile usitatoria sunt; & nos quidem ob plures rationes vegetabilem acorem cæteris anteferimus.

CXXIX.

Inter Refrigerantia deinde numerantur Sales Neutri, ex acido vitriolico, nitroso aut vegetabili, cum alcalinis fixis vel volatilibus mixto conflati. Hi quidem omnes, dum aqua solvuntur frigus producunt: sed, quoniam peracta solutione frigus cessat, & sales illi non solidi sed liquefacti plerumque propinantur, apertum est, vim illorum refrigerantem ex facultate frigoris cum aqua producendi nequaquam pendere. Inter eas quamquam Nitrum præ cæteris, tanquam refrigerans

adhi

adhiberi solet, tamen cæteri omnes ad modum ante propositum conflati, plus minus ejusdem virtutis participes sunt.

C X X X.

Præter Salia hæc Neutra scopo refrigerandi etiam Metallica quædam usurpata sunt, imprimis Saccharum Saturni, cujus tamen vis refrigerans minus certa nobis videtur, quam deleteria potestas, quæ satis superque cognita a libero ejus usu deterrere debet.

C X X X I.

Ad violentiam reactionis moderandam tertio loco (CXXIII. 3°.) faciunt ea, quæ tensionem, tonum actionemque sanguiferi systematis infirmant. Cum autem ejus actio pro magna parte extono, hic ex vasorum tensione, quam fluida his contenta impertirent, proficiscatur, obvium est, minuta humorum quantitate minorem quoque sanguiferi systematis actionem & impetum fieri.

C X X X I I.

Fluidorum copia justo major in sanguiferis vasis contenta omnium optime minuitur sanguinis detractione & alvi ductione.

C X X X I I I.

Nihil sane evidenter est, quam quod sanguinis missio potentissima sit ad agitationem universi corporis,

poris, imprimisque sanguinei systematis compescendam. Eadem proinde efficacissimum remedium ad reactionem in febribus moderandam esse debet, cuius præstantia ipsis factis comprobata est. Operandi modum hoc loco non investigabimus, sed solummodo conditiones, sub quibus febrium curationi maxime conveniat, perquiremus.

CXXXIV.

Ubi reactionis violentia ejusque individua comes diathesis phlogistica satis manifestæ sunt; ubi hæ conditiones primariam morbi partem constituant, & per totum morbi decursum probabiliter duraturæ sunt, veluti in Synocha, ibi sanguinis detractio princeps remedium est, & in tantum adhiberi debet, in quantum ægri constitutio illud ferre potest, morbique vehementia requirere videtur. Notari tamen convenit: si major, quam par est, detractio fiat, tardiorum fore convalescentiam, & ægrum recidivis opportunum, aut in alios morbos proclivem reddi posse.

CXXXV.

Igitur in Synocha vix unquam de venæ sectio-
nis necessitate dubitatio esse potest. Verum aliæ
sunt febres, velut Synochus & interdum Typhi, sub
quibus vehemens reactio & diathesis phlogistica
apparent, atque per aliquod morbi tempus præva-
lent; neque tamen principem ejus partem consti-
tuunt

tuunt, neque ad finem usque duraturæ sunt. Quin etiam novimus, talem reactionis violentiam in multis febribus habituram sibi ocius serius succedentem debilitatem, cuius excessus in summum discrimen ægros conjiciat. Quare in multis casibus vitan- da omnino est sanguinis detractio; atque, etiamsi ne- cessaria in statu morbi inflammatorio sit, tamen ea moderatione facienda, ut ne debilitatem/ sub- sequuturam augeat.

C X X X V I.

Itaque sanguinis detractio in nonnullis febribus magnam circumspetionem ac solertiam postulat; ejusque usus non nisi seria variarum rerum con- templatione definiri recte potest. Præcipue sunt sequentes:

- 1°. Natura Epidemiæ grassantis;
- 2°. Causæ remotæ indoles;
- 3°. Tempestas anni & clima, quibus morbus incidit;
- 4°. Gradus diathesis phlogisticæ præsentis;
- 5°. Morbi periodus;
- 6°. Ætas, robur & status ægri plethoricus;
- 7°. Ejusdem antegressi morbi & sanguinis mit- tendi consuetudo;
- 8°. Phænomena, quæ detractus sanguis exhibet.
- 9°. Effectus venæ sectionis jam ante factæ.

X X X V I I.

Quarum rerum consideratio si sanguinis detrac-
E tio-

tionem necessariam esse declarat, tenendum est, hanc tanto efficaciorē fore, quanto sanguis promptius detrahitur, & quanto magis corpus simul ab omni irritatione liberum præstatur, proinde eo in situ, sub quo paucissimi musculi agunt.

CXXXVIII.

Altera evacuatio, quæ fluidorum in corpore contentorum copiam insigniter minuit, est alvi ductio (CXXXII.).

CXXXIX.

Considerantibus nobis humorum, qui in intestinis semper præsentes sunt, copiam, simulque eam quantitatem, quæ ex innumerabilibus colatoriis in hanc cavitatem hiantibus trahi potest, apertum sane est, valde magnam a purgantibus fieri evacuationem posse. Quae, si stimulo perficitur, cuius vis non ultra fistulam cibalem extenditur, potest sane, dum materiem ex intestinis perinde atque ex arteriis in hæc patentibus eliminat, totum corporis sistema notabiliter laxare, adeoque reactionis violentiæ in febribus moderandæ aptissima est.

CXL.

Notandum tamen est, quoniam liquidum ex colatoriis in intestina hiantibus non directe ab arteriis trahitur, & illud etiam, quod ab his vasculis directe venit, lente & paulatim destillat, idcirco a purgatione, utut copiosa, non posse adeo subi-

tam

tam vasorum rubrorum depletionem, quam a sanguinis missione exspectari; illamque proinde tollendæ diathesi phlogisticæ longe minus idoneam esse.

C L X I.

Eadem quoque per alvum depletio magnum debilitatis gradum producere potest: quare, ubi debilitatis impendentis metus est, magna opus est in purgando cautione & omnino majore, quam circa sanguinis detractionem.

C X L I I.

Cum res magni momenti, (ut paullo post plenius ostendetur), in curatione febrium sit, ut sanguinis determinatio versus vasa in corporis superficie posita instauretur: hinc alvi ductio, quatenus illi determinationi contraria est, curandis febribus non sati conveniens esse videtur.

C X L I I I.

His dubiis (CXL. CXLI. CXLII.) non obstantibus, si quis purgationem medicamentis factam utilem saepe in febribus fuisse contendat, ego contra affirmem, non profuisse largiorem evacuationem producendo, nec proinde violentiam reactionis moderando, nisi forte in febribus simpli- citer inflammatoriis. Vidimus sane in aliis casibus perniciosas ab evacuatione liberali purgantibus procurata sequelas. Et si quandoque moderatior evacuatio profuisse visa est, hoc ideo tantum credimus factum esse, quod retentarum faecium irri-

tationem sustulerit, aut humores corruptos in intestinis hærentes eliminaverit; quorum profecto utriusque frequens laxantium usus apprime convenit. Atque etiam in febribus intermittentibus ad congestiones in abdominalibus visceribus amovendas purgantia sæpe necessaria esse judicamus.

CXLIV.

Aliud genus remediorum temperandæ reactionis vehementiæ inservientium (CXX. 2.) hoc agit, ut inductum extremis vasculis spasmum solvat, quem quidem caussam esse credimus illius irritationis, quæ reactionem maxime excitat.

CXLV.

Ad hanc extremorum vasculorum constrictio-rem tollendam apta remedia sunt vel interna, vel externa.

CXLVI.

Interna (CXLV.) sunt

1°. Ea, quæ humores circulantes ad corporis superficiem determinant, & vasorum extremorum actionem tonumque instaurando constrictionem ostiolorum superant.

2°. Illa medicamenta, quæ vim habent in quacumque corporis parte spasmos solvendi, atque *antispasmodicorum* nomine insignita sunt.

CXLVII.

Remedia, quæ humores ad corporis superficiem determinant, sunt

1°. Di-

- 1°. Diluentia;
- 2°. Sales neutri;
- 3°. Sudorifica;
- 4°. Emetica.

C X L V I I I.

Animantium succos ex magna parte constituit aqua, cujus ingens copia per humorum massam semper diffusa est. In secunda valetudine totius massæ liquiditas a præsentis aquæ mensura penderet.

Aqua igitur verum diluens sanguinis remedium est; cæteri vero liquores ea tantum proportione diluunt, qua aquam in se continent.

C X L I X.

Aqua vehiculum dici potest secretorum humorum; & in sano corpore plenitudo extreborum vasculorum & mensura excretionis sunt in ratione quantitatis aquæ in corpore præsentis. Verum sub febre excretiones, licet quodammodo interruptæ sint, pergunt tamen hactenus, ut fluidiores sanguinis partes exhalent; harum interea pars in majoribus vasis necessario retinetur; ideoque minora ultimaque vascula partim ob defectum liquidæ, partim ob præternaturalem suam contractionem, minus æquo repleta sunt; & in hoc statu, nisi juventur, manent.

C L.

Huic contractioni ut occurratur, nil magis necessarium est, quam liberalis aquæ aut aquosorum

liquorum administratio forma potus aliove modo quocunque. Cum enim per varia corporis collatoria abundans aquæ quantitas eliminari soleat, hujus applicatio constituit quasi vim quandam, quæ ultima vascula dilatare, & spasmo ostiola obserante liberare valet.

C L I.

Quare diluentium liberalis usus ab omni quidem tempore in febribus laudari solebat; nunquam tamen studiosius, quam a Medicis Hispanis & Italos in ea medendi ratione, quam *Diætam aquæam* vocant.

C L I I.

Hæc diæta talis est: ut ægri ab omni genere alimentorum & potuum abstinere cogantur, utque per plures continuos dies bibant quotidie partitis vicibus sex aut octo libras aquæ puræ, plerumque frigidæ, nonnunquam vero calidæ. Attamen hæc diæta locum habere nequit, nisi morbus jam per aliquod tempus, & minimum per unam hebdomadem duraverit.

C L I I I.

Alterum genus rerum, quæ humores ad corporis peripheriam determinant, sales neutri (CXLVII. 2.) constituunt; qui quidem debita proportione assumti paullo post excitant caloris sensum per corporis superficiem; & brevi sudorem eliciunt, modo corpus bene tectum calidum-

que

que servetur. Idem in stadio frigoris dati saepe depellunt frigus, calorem properant. Quin etiam notabilem vim habent in cohibendo vomitu, qui fere assiduus frigoris febrilis comes est. Quae omnia ostendunt, salibus neutris inesse facultatem sanguinis ad summam cutim determinandi; ideoque probabilem in tollendo spasmo peripherico usum.

C L I V.

Ex neutris salibus ille plerumque in febrium curatione adhibetur, qui ex alcali & acido nativo vegetabilium componitur. Cæteri tamen omnes plus minus ejusdem sunt virtutis participes; & nonnulli forte, imprimisque sales ammoniacales, majore gradu.

C L V.

Quoniam aqua frigida assumpta saepe effectus diaphoreticos salibus neutris similes edit, credibile est, horum salium operationem ex viribus refrigerantibus, quas habent (CXXIX.) pendere. Quid sales neutri, quo tempore formantur & in statu effervescentiae adhuc sunt, dati efficere valent?

C L V I.

Tertius modus determinandi humores ad corporis superficiem, spasmumque ibi subsistentem solvendi, est administratio sudorificorum & excitata sudatio (CXLVII. 3.).

CLVII.

De hujus remedii virtute multum disceptatum est, & speciosa in utramque partem argumenta proferri possunt.

Pro eo valent sequentia:

1°. Quandocunque in bene valentibus actio cordis arteriarumque aucta est, sudor elicetur, eoque prava illius impetus effecta verosimiliter antevertuntur.

2°. Febres ut plurimum sudore spontaneo solvi ac terminari solent.

3°. Quin etiam sudor, arte excitatus, profusus visus est in certis periodis ac speciebus febrium.

CLXVIII.

Adversus prixin sudorificam sequentia dici possunt:

1°. In febribus, cum sudor spontaneus non statim erumpat, esse conditiones quasdam a statu sano alienas, quæ incertos nos relinquant, an sudor tuto possit arte cieri.

2°. Prixin hanc saepius malas habuisse sequelas. Scilicet remedia vulgo usitata ad inflammatoriam diathesin ducere; hanc vero nisi subsequens sudor protinus removeat, summo cum discrimine ingravescere; utique regimen sudorificum, scopo præveniendi intermittentium febrium accessiones adhibitum, has saepe in continuas mutasse, quod semper ominosum est.

3°. Du-

3°. Dubiam esse hujus methodi utilitatem; si-
uidem sudor, ubi appareat, morbi solutionem non
semper adserat. Quod in intermittentibus multis-
que febribus continua manifestum sit, quas in
principio sudores quandoque comitantur, sed ne-
quaquam critici, quin potius, arte an sponte ex-
tentur, morbum saepe graviorem reddentes.

C L I X.

Quibus inter se collatis valde dubium manet:
in sudorifica methodus universaliter admitti queat?
Nec minus tamen incertum est: num illius frustratio
vel damna inde profecta ipsi methodo, an potius
malae Medicorum administrationi tribui debeant?
Utique inter Medicos de seq. convenit:

1°. Sudorem stimulantibus, calefacentibus,
& inflammantibus pharmacis excitatum semper
nocuisse.

2°. Eundem perniciosum fuisse, quoties magno
calore extero excitatus & cum insigni caloris in
corpo augmento continuatus sit.

3°. Semper etiam obesse, si non minuat sed potius
augeat pulsus frequentiam & duritatem, anxietatem
ac spiritus difficultatem, capitis dolores & delirium.

4°. Sudorem denique constanter nocere, dum
urgetur, si nec satis liquidus sit, & tantummodo
partialis atque in superioribus corporis partibus
solis.

C L X.

His in casibus verosimile est, vel diathesin inflammatoriam, quæ ultimorum vasorum spasmum augeat, induci, vel spasmum aliis de causis adeo fixum esse, ut cordis arteriarumque actioni non facile cedat. Utrum vero sit, evidens est, si sudor ultra urgeatur, verendum esse, ne sanguis ad internas partes vehementer congestus magnum discrimen adferat.

Quamquam dubia (CLVIII.) proposita attentionem merentur, omninoque methodi (CLIX.) memoratæ, utpote nocentes, rejiciendæ sunt, verum tamen manet.

1°. Sudationem sæpe efficacem fuisse in antevetendis febrium accessionibus, modo earum tempora certo prævideri, & omnia ad regimen pertinentia recte ordinari potuerint.

2°. Quin etiam febrium jamjam orsarum progressibus obstitisse sudationem recte institutam vel inter ipsa morbi initia, vel sub ejus sensim appropinquantis formatione.

3°. Quin etiam, protractis jam ad aliquod tempus pyrexii sudationem efficaciter fuisse adhibitam, maxime in Rheumatismis.

4°. Nonnullas denique febres, quas vehementer sedativum contagium producit, excitatis sudoribus plerumque felicissime curatas esse.

CLXII.

Hæc sane exempla (CLXI.) regimini sudorifico favent, nec tamen perpetuum præceptum exhibent; quamobrem ab ulterioribus experimentis generalis regula, si quæ hac in re detur, expectari debet. Interim hanc methodum tentaturis sequentia monita prodesse credimus:

1°. Ut in excitando sudore sibi caveant a stimulantibus & inflammantibus medicamentis.

2°. Ut sudorem moveant externo calore & augmento caloris ipsius corporis, quoad fieri potest, minimo.

3°. Ut sudor, cum prodire cœperit, ad satis longum tempus continuetur, utique non minus, quam duodecim horarum, quandoque per viginti quatuor, aut quadraginta octo horas; ea tamen conditione, ut absint, quæ (CLIX. 3. 4.) enumeravimus.

4°. Ut æger partem temporis, quo sudat, & quamdiu facile ferre potest, a somno arceatur.

5°. Ut sudor universalis sit; ideoque sic dirigatur, ut ad inferiores artus libere fluat.

6°. Ut tutior reddatur hæc praxis moderatam purgationem eodem tempore procurando.

7°. Ne vi frigoris, quoconque modo applicati, sudor elicitus subito reprimatur.

CLXIII.

Sub his ergo cautionibus, sudor excitari poterit,

1°. Bal-

1°. Balneo calido, vel fotu artuum inferiorum.

2°. Potione copiosa liquorum tepidorum, imprimis aquæ, quæ gratior palato additis levibus aromaticis, vel modica vini quantitate adjecta potentior reddi potest.

3°. Exhibitis aliquot salium neutrorum præbiis.

4°. Omnium optime, & forsitan tutissime larga dosi alicujus opati, cui nonnihil de salibus neutrīs & emeticum quoddam admixtum sit.

C L X I V.

Quartus modus, quo fluida ad summum corpus determinantur, & spasmus extrema vasa tenens solvitur, est Emeticorum administratio (CXLVII. 4.).

C L X V.

Emeticorum, maxime antimonialium, usus in curandis febribus dudum obtinuit, ex quo nempe chemica medicamenta adhiberi cœperunt. Eadem tamen diu non nisi a Chemicis & Chemicæ deditis Medicis usurpata sunt. Et quanquam illorum usus hodie satis familiaris sit, efficacia tamen nondum extra controversiam est, & operationis modus parum explicitus.

L X V I.

Vomitus multis titulis in febribus utilis est:
expel-

expellit res in ventriculo contentas; bilis & suc-
ci pancreatici ductus emulget; duodenum & forte
profundiorem fistulæ intestinalis partem evacuat;
universum præterea sistema abdominale concu-
tiendo expeditiorem in eo sanguinis circulationem
facit, ac secretiones, quæ in eodem fieri debent,
promovet; denique thoracis viscera pariter agi-
tando, similes in his effectus præstat. Qui qui-
dem omnes ac singuli in multis variisque febrium
conditionibus utiles sunt; sed hoc loco a nobis
non accuratius expendi possunt, ubi solum vomi-
tionis effectum in sanguinis ad summam cutim
determinatione spectamus.

CLVI.

Hunc quidem effectum nequaquam vomitionis
actui, quo totum corpus quatitur, adscribendum
esse censemus; sed singulari emeticorum opera-
tioni in fibras ventriculi musculosas, qua extre-
mas arterias in superficie corporis ad alacriorem
actionem excitant, & sic sanguinem versus hæc
vasa fortiter pellunt, atoniam tollunt, spasmus-
que vasorum solvunt.

CLXVII.

Talem esse emeticorum virtutem elucescit ex
ante propositis (XLIII.), unde simul liquet,
hæc remedia esse curationi febrium valde accom-
modata.

CLXIX.

CLXXX.

In hunc finem emetica exhibentur duplice modo; vel plena dosi, quæ strenuos iteratosque vomitus cieat, vel refracta, quæ tantummodo nauseam & vomititionem, sed nullum aut exiguum vomitum producat.

CLXXX.

Plenus vomitus optime convenit, ubi, quæ in (CLXVI.) memoravimus, perficienda sunt; idemque promovendis ad corporis superficiem humoribus, sive atoniæ ac spasmo, quæ causæ febris principes sunt, avertendis peridoneus est. Itaque vomitus paullo ante paroxysmum intermittentis febris excitatus saepe paroxysmum ex toto antevertit. Notatum quoque est, contagio corpori inducto, & vires suas jam manifestante, datum emeticum, febrem alioquin venturam prævenisse.

CLXXI.

Hæc sunt commoda, quæ vomitu excitato obtineri possunt, sub primum febris ingressum aut sub tempus accendentis paroxysmi febrilis. Et tamen emetica etiam post formationem febris recte adhibentur eo consilio, ut atonia ac spasmus vel ex toto tollantur, vel saltem ita temperentur, ut febris lenius tutiusque decurrat.

CLXXII.

Raro tamen plenam febrium solutionem excita-

tus

cus semel vomitus facit; quin plerumque in febribus jam formatis ac stabilitis aliquoties repeti debet. Sed hæc repetitio incommoda est & quandoque ægro detrimentum adfert. Scilicet vomitus temporarium duntaxat effectum præstat, simulque vires debilitat; ideoque, nisi protinus atoniam ac spasmus ex toto tollat, facile his opportunitatem præbet majore cum impetu revertendi.

C L X X I I I.

Quapropter post plenam febrium formationem Medici minutas emeticorum doses, nec nisi naufragi excitantes, præferendas esse censuere, quæ cum excitandæ ultimorum vasorum actioni sufficiunt, tum constantiorem etiam effectum præstant. Eadem frequenter simul sudorem aliquem eliciunt; atque eo etiam tutius operantur, quod evacuationem per alvum plerumque producunt.

C L X X I V.

Hæc ergo emolumenta a minutis emeticorum dosibus proveniunt. Supereft, ut dicamus, quæ præcipue huic scopo apta sint pharmaca; quibus potissimum temporibus exhiberi debeant; & quo modo optime administrentur.

C L X V.

Emetica hodie præ cæteris in usu sunt *Ipecacuanha* & *Antimonium*. Prior omnibus emeticorum

corum effectibus, illis præcipue, quæ (CLXIV.) memoravimus, producendis par est. Eademque tam refracta, quam largiore dosi fluidis ad corporis superficiem determinandis inservit. Sed tantam habet, etiam in exigua dosi, vomitus excitandi vim, ut solitus nauseæ scopo vix adhiberi queat: adhaec, quocumque etiam modo adhibeatur, credere fas est, effectus ejus non tam stabiles esse, neque a ventriculo ad cæteras corporis partes tam fortiter propagari, quam Antimonii.

C L X X V I.

Antimonium igitur universem præferri solet; cuius præparationes, tametsi admodum diversæ videntur, ad duo genera referri possunt. Unum est earum, in quibus regulina pars sic est comparata, ut acidis pateat, ideoque, si quod in ventriculo acidum offendat, activa redditur. Alterum continet præparata, in quibus pars regulina cum acido jam conjuncta hujusque vi ad agendum aptata est.

C L X X V I I.

Utriusque generis multæ sunt species, sed essentialiter haud discrepantes. Nobis satis erit contulisse calcem antimonii nitratam pharmaco-pœæ Edinburgensis cum ejusdem tartaro emeticō. Uter curationi febrium supra propositæ accommodatior sit, dubium videtur. Ego vero opinor, quamvis calx antimonii prærogativam tar-

dio-

dioris operationis habeat, ideoque certius videatur sudorem & alvum movere, eam tamen propter dosis incertam mensuram minus convenire, ideoque timidis sæpenumero frustratæ medicinæ, audacibus vero inferendæ perniciei occasionem dedit. E contrario tartari emetici dosis certo definiri, ejusque administratio sic dirigi potest, ut, quascunque calx producit, utilitates nobis præstet.

C L X X V I I .

Quamlibet vero antimonii præparationem adhibere placeat, tempus maxime opportunum censemus illud esse, quo accedit febris, vel huic proximum, modo accurate prænoscí possit. In continuis febribus exacerbationes haud ita semper observabiles sunt; sed vero tamen simile est, unam sub meridiem vel paulo post incidere, alteram circa vesperam; & hæc proinde tempora Emeticis propinandis esse maxime idonea.

C L X X I X .

Methodus administrandi calcem nitratam admodum simplex est; siquidem tota quantitas, quæ dosin justam constituere creditur, una vice exhibetur, nec facile ante subsequentem accessionem repeti potest. Contra tartari emetici administratio varia est. Dandus est parvis dosibus, quæ verum vomitum excitare non valeant. Has per brevia intervalla repeti oportet, usque dum sto-

machi ægritudo nausea & vomituritio, non plenus vomitus sequantur. Administrationis diversitas pendet tum a dosi, tum ab intervallis temporum, quibus exhibetur. Quod si propositum est alvi certo movendæ, exiguae sint doses & intervalla longiora necesse est. E contrario, si vomitus utilis est, vel larga purgatio vitari debet, ideoque vomitio aliqua omnino admittenda, doses oportet liberaliores atque intervalla breviora esse.

CLXXX.

Præparata utriusque generis possunt quidem repeti sub accessionum tempora, neque tamen frequentius; quandoquidem primæ administrationi rite factæ nisi effectus responderit, hic a subsequentibus raro producitur. Quin etiam subinde accedit, ut vomitus iteratus, & vel magis reperita purgatio, dum ægri vires frangunt, noceant.

CLXXXI.

Alterum genus medicamentorum internorum, quæ ad removendam constrictionem periphericam utilia esse credimus, *Antispasmodicorum* nomine venit. Quorum quæ & quotnam cum fructu adhiberi possint, dubius hæreo; & operandi modum valde obscurum esse fateor. Certum tamen est, opium, camphoram, moschum, & forte alia quædam in febribus cum successu fuisse adhibita; verum conditiones, quibus potissimum apta tutaque

que sint, non ausim definire; nec proinde certa dogmata hoc loco proponere.

C L X X X I I.

Externa remedia (CLIV.) spasmo extre-
rum vasorum solvendo apta sunt *Vesicatoria* &
Balneum calidum.

C L X X X I I I.

Quinam sint vesicantium tam crebro in febri-
bus usurpatorum effectus, inter Medicos nondum
convenit. Multæ quidem multumque discrepan-
tes opiniones non modo a ratiocinatione, sed
etiam a prætextis experimentis deductæ sunt. Sed
nos, relictis controversiis, nostram tantummodo
sententiam breviter exponemus.

C L X X X I V.

Ego quidem opinor, exiguum Cantharidum
particulam, quæ resorbetur ex vesicatorio, crassi
sanguinis mutandæ nequaquam esse parem; ideo-
que nec prodeße lentorem phlogisticum, si mo-
do existat, resolvendo, neque nocere sanguinis
dissolutionem a putrida diathesi inductam augen-
do. Atque his de cauſis cantharidum in fluida ef-
fectus omnino negligimus.

C L X X X V.

Inflammatio, quæ cantharidum applicationem

ad cutim sequitur, stimulantis virtutis non æquivocum signum est. Hujus vero stimuli effectus in multis hominibus haud insignis est; apud alios non communicatur cum universo systemate; atque etiam, ubi corporis universitatem afficit, videtur simul cessare, ac serum e parte irritata effusum est & evacuatum. Itaque a vesicantium stimulo nec multum boni sperandum, nec multum noxæ timendum esse arbitror. Cujus assertionis veritas ex præclaro beneficio, quod rectus vesicantium usus in morbis inflammatoriis afferre solet, egregie confirmatur.

C L X X X V I.

Evacuatio, quam vesicatoria producunt, magnam vim habere visa est; sed nunquam profecto tanta est, ut totum corpus afficiat, utque vel deplectionem subitam faciendo sanguiferum sistema laxare, vel revulsione procurata generalem humorum distributionem mutare valeat.

C L X X X V I I.

Eadem tamen evacuatio sat magna est, ut vasa vicina afficere possit. Et manifesta vesicantium, proxime juxta partem affectam applicatorum, utilitas in morbis inflammatoriis ducit nos, ut credamus, eam esse vesicantium vim, ut humores ad cutim alliciendo, effusionemque ibi producendo vasa profundius sita spasmo liberent. Ad hunc

fane

sane modum videtur nobis tumor articuli, ab effusione in telam cellulosam sub cute productus, dolorem rheumaticum, quo junctura ante torquebatur, solvere.

C L X X X V I I I.

His consentaneum est, ut statuamus, vesicantium bonos effectus in continuis febribus inde proficiisci, quod spasmi extrema vascula tenentis relaxationem praestent per consensum partis, cui applicantur, cum universa cute. Quod quidem effectu eorundem in Colica & Dysenteria conspicuo illustratur.

C L X X X I X.

Vesicatoria nullo non febrium continuarum tempore adhiberi posse statuimus; fructum tamen insigniorem in proiectiore illarum febrium statu edere arbitramur, quando jam moderatior est reactio, omnisque adeo metus a stimulante eorum virtute proficiscens evanuit, & proinde eorum usus ceteris rebus praesentibus, quae ad perfectam spasmi solutionem tendunt, optime respondet.

C X C.

Studiosior hujus rei consideratio (CLXXXVI.) docet, nihil interesse, qua demum cunque corporis parte vesicatoria adhibeantur, nisi topicæ affectio-
nis suspicio sit, quo in casu debent locis affectæ parti proximis admoveri.

C X C I.

Utrum *sinapismi* aliaque *rubefacientia* eodem modo, quo vesicatoria agere diximus, operentur, disputari posset; sed tamen effectus eorum in rheumatismo aliisque morbis inflammatoriis vero reddunt simile.

C X C I I.

Alterum remedium externum spasmo extre-
rum vasorum solvendo conveniens est *Balneum calidum*. Hoc frequenter & variis conditionibus adhiberi a veteribus solebat; deinde diu neglec-
tum est, nec nisi nuper in usum reduci cœpit. Ejus calor, cum extrema corporis vascula inci-
tet, simulque interventu humiditatis laxet, vide-
tur utique tutum præbere stimulum, & spasmo,
illa vascula obsidenti, solvendo peridoneum.

C X C I I I.

Balneum universo corpori undique applicari potest; sed talis tamen immersio variis titulis incongrua est. Utrum ejus aliqua incommoda vi-
tari queant substituendo vaporis balneum, nondum ab experientia didicimus. Verum hoc a multipli-
ci observatione novimus, pleraque balnei calidi
commoda posse obtineri, fomentatione crurum
pedumque rite instituta, ac debito tempore, sal-
tem integræ horæ spatio protracta.

C X C I V.

C X C I V.

Ejusmodi fomentationis prospere succedentis indicia sunt, si ab ægro facile fertur, si delirium minuit, si somnum conciliat.

C X C V.

Consideravimus varia remedia, quæ primæ generali indicationi in cura febrium respondent. Ad secundam (CXX.) progredimur indicationem, quæ debilitatis causam removere, aut ejus effectibus occurtere jubet.

C X C V I.

Pleraque vires sedativæ debilitatem induentes paullo post, quam applicatæ fuerunt, agere desinunt; earum proinde ablato non est præsenti indicationi subjecta. Inter eas una tantummodo est, cuius actio ad longum tempus continuari videatur, contagium scilicet corpori admotum; sed hujus natura adeo parum nobis perspecta est, ut nullis adhuc remediis vel ablationem illius, vel correctionem perficere queamus. Novimus duntaxat, contagium agere vel instar potentiae sedativæ, quæ debilitatem inducat; vel instar fermenti, quo proclivitas ad putredinem in humoribus generetur. Posteriori quomodo occurri debeat, subteria generali indicatione videbimus. Prioris ergo solius contemplatio hujus loci est.

C X C V I I.

Debilitas sub febribus ex contagio aliisve causis profecta maxime manifestatur ab infirmitate cerebri energie. Hæc autem quid proprie sit, aut quibus modis directe instaurari queat, nobis non satis notum est. Cum tamen Natura probabiliter in hunc finem motum cordis & arteriarum intendere soleat, nos debilitatis continuacionem tribuimus debiliori sanguinei systematis reactioni; ideoque remedia adversus debilitatem talia adhibemus, quæ directe actionem cordis & arteriarum sustentare & augere valent. Hæc remedia vocantur *tonica* seu *stimulantia*.

C X C V I I I.

Sub morbis contagiosis tam ex symptomatis, quæ apparent, quam ex cadaverum sectionibus innotescit, cordis arteriarumque tonum insigniter fractum esse; ideoque remedia tonica cum maxime indicari. Quorum quidem duplex genus contemplabimur; unum est frigoris facultas; alterum pharmaca tonica continet.

C X C I X.

Frigoris, ut tonici, potentiam supra (LXXXIX.) commemoravimus; quæ quidem in febribus duplii usurpatur modo; vel ventriculo intus; vel corporis superficie extrinsecus applicata.

C C.

C C.

Quoniam supra adstruximus, vim frigoris tonicam ab unaquaque corporis parte ad quamvis aliam diffundi posse; ultro dabitur, ventriculum perficiendæ huic communicationi æque idoneum esse atque aliam quamcunque corporis partem; proinde potum frigidum a stomacho receptum utile in febribus tonicum præbere.

C C I.

Atque hoc experientia omnium seculorum comprobavit; sed tamen etiam frequenter observatum est, potum frigidum stomacho commissum sub certa rerum circumstantia admodum nocuisse; id eoque ejus in febribus usum limites habere ac terminos. Hos vero limites ponere & conditiones omnes, sub quibus potionē frigida interdicendum sit, definire perquam est difficile. Satis tamen constat, in omnibus casibus, ubi diathesis phlogistica in corpore prævalet, vetandam esse, præsertim ubi affectiones topicæ ad inflammationem accedentes simul adsunt.

C C I I.

Alter modus administrandi frigus ut tonicum est ejus ad peripheriam corporis applicatio. De aëre frigido corpori circumfuso, tanquam potentia refrigerante, ad reactionis violentiam moderandam valde idonea, jam ante dictum est (CXXVII.). Eadem tamen hoc etiam loco tamquam vis to-

nica & imbecillitati occurrens recensenda videbatur.

C III.

Neque aër solus, sed aqua etiam frigida ad corporis superficiem admoveri scopo tonico potest. Utique jam a veteribus hoc consilio sæpe singulis partibus cum fructu adhiberi solebat; sed tamen recentioris ævi inventum est: in putridis febribus, quas ingens comitatur debilitas, corpus undique frigida aqua utiliter perlui.

C C I V.

Hæc lavatio primum Wratislaviæ in Silesia adhiberi cœpit; quod ex dissertatione, titulo *Epidemiæ vernæ, quæ Wratislaviam anno 1707. affixit edita & Appendici Actor. nat. curios. vol. X. inserta*, appareat. Eadem testantibus aliis scriptoribus inde ad quasdam vicinas regiones manavit; sed nostra in insula nondum, quod sciam, in usus tracta est.

C C V.

Medicamenta, quæ in febribus tonico scopo usurpantur, varia sunt. Si *saccharum saturni* revera utile se præsttit, hoc ejus tonicæ potius quam refrigeranti facultati tribuendum esse videtur. *Ens quoque veneris, aliave ferri* præparata, quæ tentata sunt, profecto non nisi tonica virtute agere valent: porro *aeris* præparationes effectus, quos in Epilepsia præstant, vim tonicam habe-

habere creduntur; quorum tamen in febribus utilitas utrum tonicæ an emeticæ virtuti adscribi debat, incertum est. *Arsenici* vero & *aluminis* in febribus intermittentibus efficacia ex facultate tonica omnino videtur proficisci. In universum dubitari nequit, quin subinde continuæ febres incidant, quas tonicis ex regno fossili petitis curari par sit; sed usus eorum adhuc valde infrequens, effectus incerti fuere, cum Medici tonica vegetabilia longe familiarius adhibuerint.

C C V I.

Vegetabilium tonicorum magna varietas in febrium intermittentium curatione passim adhibita est; quæ & quotnam eorum in continuis febribus & sub qua harum conditione prodesse queant, haud liquido constat. Nos hoc loco quæstionem de solo *cortice peruviano*, tanquam horum tonicorum celebratissimo, instituemus.

C C V I I.

Hic *Cortex vulgo medicamentum specificum*, id est tale, cuius operandi ratio intelligi nequeat, habitus est. Nobis vero ejus operationem non modo licere videtur, sed etiam posse peryestigari.

C C V I I I.

Quem in finem animadvertis: quoniam multis in casibus corticis effecta brevi post ingestionem ejus

ejus in ventriculum apparent, prius certe, quam ipse massam sanguinis ingredi queat, hinc recte colligi, illa nequaquam ex operatione in fluida esse repetenda; ideoque ab actione ejus in nervos ventriculi pendere, & ab his ad universum systema nervosum propagari. Principium operationis videtur esse vis tonica; siquidem cortex in multis casibus, ubi debilitas est, nominatim in gangræna eximiam opem fert; quumque reveriones paroxysmorum in febribus intermittentibus, redeunt identidem atoniæ (XXXIV. & seq.) adscribi debeant, vero simile est, corticem vi sua tonica illas reveriones inhibere, quod etiam inde confirmatur, quoniam alia multa medicamenta tonica eidem scopo obtinendo inservire videmus.

CCIX.

Si corticis operationem a vi ejus tonica recte derivamus, haud obscura est ratio, cur ille, ubi diathesis phlogistica prævalet, contrarius sit; nequedifficile est, conditiones, quibus idem continuis febribus conveniat, definire. Scilicet locum habet, vel postquam remissio notabilis facta est, quando exacerbationis redditum præveniendi caussa, perinde ac in febribus intermittentibus consuevit, utiliter datur; vel in proiecto continuæ febris stadio; sub quo nulla inflammationis suspicio amplius est, & debilitas in universo systemate obtinet; quo in casu hodierna praxis usum ejus satis comprobat.

CCX.

C C X.

Quoad ipsam corticis administrationem addi convenit, bonos ab illo effectus exspectari tantum fere posse, si in substantia & liberali manu exhibeatur.

C C X I.

Aliud genus medicamentorum debilitati ejusque effectibus occurrens continet stricte dicta stimulantia (CXCVII.); quæ quidem aliquo modo fibrarum motricium tonum augent, a tonicis tamen eo differunt, quod directius cordis arteriarumque motum excitent atque intendant. Hic operationis modus ancipitem reddit eorum usum, & sane, quando diathesis phlogistica adest, quoq; inter initia febrium sœpiissime accidit, stimulantium effecta admodum noxia esse possunt. Nihilominus verisimile est, eadem in proiectiore febris stadio, debilitate jam prævalente, utiliter adhiberi.

C C X I I.

Quænam præ cæteris stimulantia convenient, incertum est; cum eorum usus nostra ætate rarus fuerit. Videtur tamen nobis *vinum* cæteris omnibus anteferendum.

C C X I I I.

Vinum commendabile est primo, quoniam palato & ventriculo gratum est; deinde quod particulas stimulantes adeo habet dilutas, ut parvis dosibus dari

dari apte queat. Et tuto datur, modo circum-specte; verum tamen, nisi liberalius assumatur, pa-rum prodest.

C C X I V.

Vinum similem opio habere agendi vim, haud vana conjectura est: sed tamen solam stimulandi facultatem distincte percipimus; quæ quidem effec-tum ejus in delirio phrenetico æque perniciosum, atque in miti delirio, quod a debilitate oritur, evidenter proficuum reddit.

C C X V.

Hæc sunt media, quæ generali indicationi, quam secundo loco posuimus, (CXX. 2.) respondent. Tertia nunc sequitur, quæ proclivitatem fluidorum ad putredinem spectat, vel antevertendam, vel corrigendam.

C C X V I.

Quod obtineri potest:

1°. Vitando novam putridæ vel putrescentis ma-teriæ applicationem ad corpus.

2°. Eliminando putridam vel putrescentem, quæ in corpore existit, materiam.

3°. Corrigendo materiem putridam vel putres-centem in corpore relictam per diluentia & anti-septica.

4°. Tonum vasorum sustentando, sicque putre-dinis progressibus resistendo, ejusdemve effectibus occurrendo.

5°. Re-

5°. Reactionis violentiam, quatenus inter causas putredinem augentes habetur, moderando.

C C X V I I.

Ut continuata applicatio putridæ vel putrescentis materiæ vitetur.

1°. Removendus æger est a locis aëre corrupto inquinatis.

2°. Aegri effluvia ne circa ipsum accumulentur, cavendum ventilatione assidua & strangularum lecti atque indusiorum crebra permutatione.

3°. Omnis excrementitia materies diligenter festinanterque e cubiculo ægri auferenda.

4°. Vitandus cibus animalis.

C C X V I I I.

Putrida vel putrescens, quæ in corpore jam est, materies eliminari ex parte potest frequenti intestinorum vacuatione, sed tamen melius & plenius promovendo excretionem materiæ perspirabilis & urinarum, liberali diluentium usu.

C C X I X.

Pars putridæ vel putrescentis materiæ, quæ in corpore superstes manet, mitior & innocua redditur diluentium usu, aut corrigitur antisepticis. Cum vero antisepticorum magnus sit numerus & varietas, quæ potissimum convenient, vel febribus accommodata sint, haud ita certo constat. Experientia tamen docuit, tutiora & utiliora cæteris

teris esse alimenta acescentia, acida cuiusvis generis ac salia neutra.

C C X X .

Putredinis progressus valde retardari & effectus anteverti possunt, si modo tonus vasorum suffulcatur; quod fieri remediis tonicis potest, inter quæ eminent frigus atque cortex peruvianus, de quibus satis dictum est (CXCIX—CCX.).

C C X X I .

Reactio nimis violenta proclivitatem ad putredinem atagens compescitur remediis variis, quæ a nobis jam ante exposita sunt (CXXI - CXCIV.).

C C X X I I .

Nunc ad finem perduximus trium generalium indicationum, quas in curatione febrium continuorum sequi oportet, examen, in quo pleraque commemoravimus remedia, quæ variis temporibus & occasionibus adhibita fuerunt. Et sane oportebat remedia hæc primo distincte singula considerari, eorumque operationem generaliter explicari. Nunc enim ex his, quæ modo proposita sunt, si bene comparentur illis, quæ supra de febrium differentiis atque variorum symptomatum significazione prognostica tradidimus, spes nobis est, haud difficilem fore selectum & combinationem remedium talem, quæ ad varias febrium continuorum

fum species & conditiones maxime accommodata sit.

Interesse Studiosorum putamus, ut integrum februm continuarum curationem uno quasi intuitu complecti queant; ideoque sequentem Tabulam adjungimus.

In curā FEBRIUM CONTINUARUM indicationes sunt;

I. *Moderari reactionis violentiam; quod fieri potest,*

I^o. Minuendo cordis & arteriarum actionem

A. *Vitando aut moderando illas irritations, quæ assidue fere corpori admoventur, quales sunt*

a. Impressiones in sensuum organa factæ, sigillatim,

a. Calor auctus, sive oriatur ab

aa. Externo calore, sive

bb. Ex corporis calore accumulato;

b. Exercitatio corporis,

c. Mentis exercitatio,

d. Cibus & potus,

e. Irritationes peculiares, quas faciunt

a. Sensus sitis,

β. Cruditates vel corrupti in ventriculo humores,

γ. Fæces præter naturam retentæ,

δ. Universalis humorum acrimonia.

B. *Usu quarumdam virium sedativarum, ut*

a. Frigoris,

b. Refrigerantium rerum, quas inter eminent

ε. Acida omnis generis,

- β. Sales neutri,
- γ. Sales metallici.

C. Minuendo tensionem & tonum systematis arteriosi,

- a. Sanguinis detractione,
- b. Alvi ductione.

2°. Ablatione spasmi extrema vascula stringentis

A. Remediis internis, qualia sunt,

- a. Quæ humores ad corporis peripheriam determinant, velut

- α. Diluentia,
- β. Sales neutri,
- γ. Sudorifica,
- δ. Emetica;

b. Medicamenta antispasmodica.

B. Remediis externis,

- a. Epispasticis,
- b. Balneo calido.

H. Removere causas, aut occurrere effectibus debilitatis

1°. Actionem cordis arteriarumque fulcendo & incitando,

A. Tonicis, quæ sunt

- a. Frigus.
- b. Medicamenta tonica,
- α. Fossilia, ut *saccharum saturni* &c.
- β. Vegetabilia, quorum princeps *cortex peruvianus*.

B. Stimulantibus, ut

a. Aro-

a. Aromaticis, &c.

b. Vino.

III. *Prævertere aut corrigere humorum ad putrescendum proclivitatem*

1°. Fugiendo applicationem putridæ vel putrefcentis materiæ;

A. Removendo ægrum ex locis aëre corrupto inquinatis;

B. Præcavendo ipsius ægri effluviorum coäervationem,

α. Affidua ventilatione,

β. Crebra stragularum indusiorumque permutatione.

C. Diligenti celerique omnis materiæ excrementitiæ amotione,

D. Vitando viatum animalem.

2°. Putridam vel putrescentem materiam, quæ in corpore præsens est, expellendo,

A. Frequenti intestinorum evacuatione,

B. Excretionem materiæ perspirabilis & urinæ promovendo,

α. Diluentibus,

β. Salibus neutris.

3°. Corrigendo putridam vel putrescentem materiam in corpore superstitem,

A. Diluentibus,

B. Antisepticis.

4°. Progradienti putredini resistendo, vel effectibus ejus occurrendo, vasorum confirmatione, quæ remediis tonicis præstatur.

5°. Violentiam reactionis moderando, quatenus
hæc putrefactionem augere valet, ut in I. C.

S E C T I O II.

De curatione febrium intermittentium.

C C X X I I I.

Curatio febrium intermittentium explicanda
superefst, quocirca itidem tres generales statui-
mus indicationes:

- 1a. Ut intermissionis tempore adhibeantur, quæ
paroxysmi redditum prævenire possint;
- 2a. Ut paroxysmus præsens dirigatur scopo per-
fectæ morbi solutionis obtainendæ convenienter;
- 3a. Ut res quædam circumstantes, quæ duabus
præmissis indicationibus obstaculo sunt, removean-
tur.

C C X X I V.

Primæ indicationi satisfieri duplīci modo potest:

1°. Actionem cordis & arteriarum aliquo ante
accessionem tempore incitando, & incitatam susten-
tando, usque dum invasionis periodus præterit,
atque sic reversionem atoniæ ac spasmi extre-
morum vasorum, quæ paroxysmorum redeuntium
occasiones sunt, præveniendo.

2°. Tonum vasorum confirmando, atque sic
atoniā &, qui hanc sequitur, spasimū ante-

ver-

PRAXEOS MEDICINALIS. 101

vertendo, sine cordis & arteriarum actione aucta,
ut tamen paroxysmi redditus præcaveatur.

C C X X V.

Scopo proposito (CCXXIV. 1.) convenienter
potest cordis arteriarumque actio intendi

1°. Variis remediis stimulantibus interne datis,
vel externe admotis, ea moderatione, ut sudor
non eliciatur;

2°. Iisdem medicamentis aliisve ita exhibitis,
ut sudorem moveant, eumque aliquantum ultra
finitam accessionis periodum protrahant;

3°. Emeticis, tonum actionemque extremorum
vasorum per idem temporis spatium sustentantibus.

C C X X V I.

Extremorum vasorum tonus sine augmento mo-
tus cordis & arteriarum (CCXXIV. 2.) variis
fulcitur medicamentis tonicis; qualia sunt

1°. Adstringentia sola;

2°. Sola amara;

3°. Adstringentia cum amaris conjuncta;

4°. Adstringentia aromaticis unita;

5°. Quædam tonica metallica;

6°. Denique opiata.

Frequens exercitatio corporis, & vietus, quoad
ægri appetitio & coctrices vires permittunt, ple-
nissimus, tempore intermissionis convenienter, &
merito ad hoc caput referuntur.

CCXXVII.

Inter medicamenta tonica, quæ enumeravimus (CCXXVI.), celeberrimum & forte efficacissimum est *Cortex Peruvianus*, cuius vim tonicam supra adstruere conati sumus (CCVIII.); ubi simul ejusdem in febribus continua uisum explicuimus. Nunc in intermittentibus animadversio, quæ est (CCX.) proposita, peculiariter valet; atque sequentes insuper observationes ac regulæ notari merentur,

1°. Corticem nullo non intermittentium febrium tempore tuto usurpari, modo nulla adsit vel diathesis phlogistica in corpore, vel magna aut fixa congestio in visceribus abdominalibus.

2°. Tempus exhibendo sub intermittentibus cortici opportunum esse spatium intermissionis; sed, quamdiu paroxysmus durat, abstinendum ab eo esse.

3°. In remittentibus, quamquam plena non obtineat apyrexia, corticem tamen sub remissione recte dari; quin, etiamsi remissio parum sit manifesta, omnino dandum esse, quoties natura Epidemiacē jam cognita nos non finit intermissiones vel pliores remissiones brevi exspectare, magno interim periculo ex repetitis exacerbationibus impendente.

4°. In genuinis intermittentibus cum sat magna corticis quantitas adhibenda est, tum quoque curandum, ut tempore invasioni proximo sumatur, quoad conditio æ gri ventriculi permittit.

5°.

5°. In omnibus intermittentibus non sufficit pa-
roxysmi redditum beneficio corticis semel inhibui-
se; nam recidiva fere metuenda est, nisi corticis
usus per debita intervalla continuetur.

C C X X V I I.

Secundæ nostræ indicationi, quæ moderamen
paroxysmorum ad perfectam morbi solutionem
ducens spectat, satisfacimus

1°. Datis emeticis sub frigore febrili, vel æstu
ineunte;

2°. Opiatis, sub æstu exhibitis.


C C X X I X.

Conditiones, quæ priorum indicationum ex-
secutioni obstare possunt & tertiam quasi indica-
tionem nobis præbent, sunt diathesis phlogistica
in corpore prævalens, & congestiones in visceri-
bus abdominis. Illa sanguinis detractione & re-
gimine antiphlogistico, hæ vomitu & purgatione
curantur.



LIBER SECUNDUS.

De Inflammationibus sive Phlegmatis.



CAPUT PRIMUM.

De Inflammatione in genere.

SECTIO I.

De Phænomenis Inflammationis.

C C X X X.

Si pars aliqua externi corporis insolito rubore, calore, dolore & tumore affecta est, hunc affectum nominamus *Inflammationem* vel *Phlegmasiam*. Cujus quidem dicta symptomata nunquam insignia sunt, quin totum simul corpus pyrexia afficiatur,

C C X X X I.

Internæ partes pariter atque externæ inflammationi obnoxiae sunt; easque cognoscimus affectas esse, si simul cum pyrexia dolor fixus partem aliquam internam occupat, hujusque functionis exercitium quodammodo turbat.

C C X X X I I.

Præsentiam inflammationis judicamus etiam ex
san-

sanguinis e vena missi conditione. Cum enim detractus cruor, postquam refixit atque coagulavit, portionem glutinis a reliqua massa separatam & summo crassamento insidentem exhibere soleat, quoties manifesta in corpore phlegmasia existit: hinc in ambiguis casibus ex hoc phænomeno, aliis symptomatibus adjuncto, inflammationis præsentiam colligimus. Notandum tamen est, quum sub ipsa venæ sectione variæ res circumstantes impedire queant, quo minus glutinis separatio illa in sanguine vere phlogistico perficiatur, rationem non semper a deficiente crusta ad inflammationis absentiam tuto concludi.

C C X X X I I .

Inflammationis phænomena generalis historia non facile plenior, quam tribus præcedentibus paragraphis comprehensa, exhiberi potest. Differentiæ ejus & variæ conditions aptius deinceps exponentur, ubi diversa genera ac species sigillatim describemus. Nunc igitur ad proximam inflammationis caufam generatim investigandam pergimus,

S E C T I O I I .

De Causa proxima inflammationis.

C C X X X I V .

Cuncta inflammationis phænomena (CCXXX.) eo convenient, ut auctum sanguinis impetum in

vasis affectæ partis esse declarant. Cum autem cordis actio non semper eodem tempore notabiliter aucta sit, hinc deducimus, majorem illum sanguinis in singulari parte impetum a vasorum, quæ in hac ipsa parte sunt, actione incitata potissimum proficiunt.

C C X X X V.

Causa igitur incitatæ actionis vasorum parti singulari priorum investiganda a nobis est, ut propter causa inflammationis proxima. Atqui multis in casibus evidentissime apparet, inflammationem a stimulis ad partem applicatis oriri. Ubi ergo stimulorum applicatio manifesta est, ibi non aliam requirimus inflammationis causam. Quoniam vero multis in casibus talis applicatio nec manifesta est, neque ullo jure assumi potest, in his profecto alia quedam causa aucti sanguinis impetus per vas affectæ partis queratur, necesse est,

C C X X X V I.

Complures Medici in ea fuerunt opinione, obstructionem extremorum vasorum, quo cunque modo productam, posse inflammationis causam constitutere; sed multis difficultatibus premitur haec doctrina.

I^o. Hypothesis de *errore loci* nequaquam verisimilis est. Etenim sanguinis in vasis minimis motus adeo debilis ac lentus est, ut cursum ejus retrogradum facile admittat. Quam ob rem, si quæ crux

cruoris particula subintraverit canalem, cuius rami illam transfire non sinunt, retro movebitur, donec vasculum, quod trajicere potest, attingat. Et sane frequentes ramifications atque anastomoses ultimarum arteriarum huic assumptioni apprime favent.

2°. Hypothesis de *lentore præternaturali*, vel *viscositate sanguinis*, insirmo stat fundamento. Credibile enim est, naturam imprimis cavis, ne humores corporis facile indolem concipient, exercitio nobilissimarum œconomiæ animalis functionum adeo repugnantem. Cum enim motus assiduus separationem partium prævenire, & calor fluiditatem molecularum viscidiorum conservare pergit: tum etiam tanta aquæ copia semper præfens esse videtur, ut totius massæ debitam fluiditatem præstare queat.

3°. Nobis persuasum est, universalem lentorem nunquam obtainere, quippe qui, si adesset, notabiliora effecta, quam solent apparere, necessario exhiberet.

4°. Nulla sunt experimenta, quæ lentorem præternaturalem in massa sanguinis prævalentem directe ostendunt. Neque ullo modo evidens est, partes quasdam sanguinis densitatem & cohæsionis vim solito majores interdum nancisci. Neque ullo indicio constat, densiores fortiusve cohærentes particulas in massa sanguinis adeo ultra consuetam mensuram interdum abundare, ut periculosa spissitudinem inducant. Experimenta Doctissimi Browne Langrish hac super re nihil

de-

definiunt; siquidem circa partes quasdam sanguinis a cæteris separatas versantur, omissis variis circumstantiis, quæ sanguinis detractionem comitantur, & quarum ea est vis, ut separationem ac concretionem sanguinis e vena missi insigniter mutare queant.

5°. Sub ipsa inflammatione sunt multa phænomena, quæ sanguinem tunc solito fluidiorem esse probabiliter docent.

6°. Etiam si obstructio præfens esse ponatur, impar tamen erit producendis effectibus sub inflammatione obviis. Unius vasis obstructio velocitatem sanguinis in vasis vicinis adhuc liberis augere vulgo dicebatur; sed nequaquam auget. Quin potius multæ sunt observationes & experimenta, quæ declarant, obstructions graves in corpore formari & subsistere posse, nec tamen inflammationis symptomata producere.

C C X X X V I I .

Quare obstructio non debet primaria inflammationis causa haberi. Et tamen verosimillimum est, aliquam obstructionis speciem in omni inflammatione adesse. Distentio, dolor, rubor atque tumor, inflammationis comites, non possunt explicari, nisi assumamus, arteriarum extremitates haud facile transmittere insolitam sanguinis copiam, quæ, incitata vasorum actione, in eas impellitur. Talem obstructionem semper & ubivis contingere, quoties sanguinis augetur impetus, credibile

bile est; sed sub vera inflammatione videtur insuper obstaculum quoddam præternaturale libero fluidorum trajectui ponit.

C C X X X V I I .

Febrium doctrina dicit nos, ut credamus, incitatam cordis & arteriarum actionem ad notabile tempus non posse protrahi, nisi a spasmo extrema vasa occupante: atqui similem omnino spasmum sub inflammatione existere, ex eo probabiliter deducitur, quod insignior quævis inflammatio initium a frigore sumat; nec hoc tantum, sed etiam aliis pyrexiae signis stipata sit. Quin immo verissimile est, in illis etiam inflammationibus, quæ minus graves & simpliciter topicæ sunt, aliquid huic spasmo analogum obtinere.

C C X X X I X .

Ex quibus omnibus sequitur, naturam inflammationis sæpe ad hunc modum explanari posse, ut dicamus: causas quasdam inæquabilem sanguinis distributionem producere, eoque efficere, ut insolita humoris quantitas impellatur in particularia quædam vasa, quæ sic magis magisque stimulentur. Hujus vero congestionis sublevandæ causa videtur etiam *vis mediatrix Naturæ* actionem illorum vasorum adhuc magis incitare, idque potissimum spasmo, illorum vasorum ostiolis inducto, haud secus atque in omnibus morbis febrilibus fieri solet.

CCXL.

C C X L.

Itaque extremarum arteriarum spasmus, incitatum earundem in suo decursu actionem sustinens, pro inflammationis causa proxima haberi potest; saltem omnibus in casibus, ubi inflammatio non producitur a stimulus directe admotis.

C C X L I.

Concurrere sub inflammatione constrictiōnē extremerum vasorum cum eorundem aucta in aliis partibus actione, verisimile facit Rheumatismi contemplatio. Hic enim est inflammationis species, quæ evidenter sæpe producitur, vel a frigore vasis nimium distentis adhibito, vel a causis impetus aucti ac distentionis nimiæ in vasis jam ante constrictis. Unde etiam hic morbus illis maxime tempestatibus grassatur, quibus crebræ & insignes sunt caloris atque frigoris vicissitudines.

His addere licet, partes corporis inflammatione sæpius affectas esse illas, quæ nimiæ distensioni a perversa fluidorum distributione nascenti, simulque frigoris actioni maxime objiciuntur. Hinc anginæ & inflammations pneumoniacæ cæteris omnibus frequentiores sunt.

C C X L I I.

Extremerum vasorum spasmum obtinere sub inflammatione, probamus insuper ex conditione totius systematis arteriosi, quæ eodem tempore cerni-

cernitur. Quoties enim notabilis in corpore inflammatio existit, licet unam tantummodo partem teneat, universo tamen systemati affectio quædam inducitur, quæ alias partes, a primum affecta distantes, inflammationi admodum obnoxias reddit. Hæc affectio Medicis probe nota est nomine *Diathesis phlogisticae*. Ut plurimum apparet in hominibus fibras rigidiores habentibus; sœpe manifesto inducitur frigoris tonica vel adstringente potestate; augetur ab omnibus tonicis & stimulantibus potentissimis corpori admotis; duritie pulsus numquam non est stipata; efficacissime denique sanguinis detractione, quæ vasa relaxat, tollitur. Ex quibus probabiliter efficitur, diathesin phlogisticam non esse, nisi auctum tonum, seu contractilitatem, & forte veram contractionem fibrarum totius systematis arteriosi muscularium. Talis corporis conditio præsentem ponit extremitum vasorum spasmus. Eadem plerumque a parte quadam singulari initium sumens paulatim universalis fit; tametsi vero etiam simile est, universalem hujusmodi diathesin aliquando nasci & subsistere ad tempus posse, sine manifesta partis aliquius singularis inflammatione.

C C X L I I I.

Sic statum totius corporis sub inflammatione, pariterque conditionem partis potissimum affectæ, sed hanc solummodo, prout initio est, explicare conati sumus; postquam vero aliquamdiu inhæsit malum,

lum, variæ mutationes in affecta parte contin-
gunt, de quibus nunc dicendum est.

S E C T I O III.

De variis Terminationibus inflammationis.

C C L X I V.

Si inflammatio ita sanatur, ut partis habitus & textura integra maneant, morbus terminari dici-
tur *resolutione*. Hæc contingit, ubi prægressa con-
gestio & spasmus leviores fuerunt, & auëtus san-
guinis impetus spasmo superando, vasis dilatan-
dis atque congestioni removendæ, ita par fuit,
ut pars ad naturalem & sanitati congruentem sta-
tum redeat.

Resolutio quoque obtinet, quando humorum
fortior impetus copiosiorem produxit vel exhalationem in vicinum textum cellulosum, vel excretionem in adjacentem aliquam partem; eoque congestionem in vasis minuit, ac spasmum partis inflamatæ laxavit.

Denique resolutio fieri potest, ubi auëtus san-
guinis impetus in toto corpore occasionem dat
evacuationi, quæ in remota licet parte fiat, ta-
men sufficit diathesi phlogisticae totius systematis
tollendæ, eoque congestioni ac spasmo partis sin-
gularis inflammatione affectæ solvendis.

C C L X V.

Qui sub inflammatione apparet tumor tribui ex
par-

parte potest congestioni humorum in vasis; verum tamen materiæ in vicinam cellulosam telam effusæ potissimum debetur. Ideoque tumores vix cernuntur, nisi in partibus laxiori cellulosæ propinquis. Quo in casu, si materies effusa non est nisi abundans fluidum exhalare solitum, tunc brevi post instauratam in vasis circulationem liberam ultro resorbetur, & pars pristinam formam recuperat. Verum, si auctus sanguinis in parte inflammata impetus vasa exhalantia eo usque dilataverit, ut serum integrum emittant, non tam facilis est resorbatio; & tunc illud fit, quod ab experimentis illustris *Pringliae* & *Gabri* discimus, ut serum stagnans mutationem singularem subeat; qua gluten in illo præsens vertitur in album, opacum, mediocriter spissum, blandumque humorem, quem *pus* nominamus. Ubi hæc mutatio in parte inflammata accidit, quoniam simul rubor, calor ac dolor imminuuntur, inflammatio, cujus hi indices erant, terminari dicitur *suppuratione*; atque pars inflammata, pus in se collectum habens, *abscessus* audit.

C C X L V I.

Quod inflammatio ad suppurationem tendat, cognosci potest: si perdurat, nec resolutionis tamen symptomata apparent; si dolor ex distensione nascens aliquantum remittitur; si jam dolor factus est pulsatilis, & arteriarum micationi distinctius respondet; si pulsus arteriarum plenior mol-

liorque est; denique etiam sæpius ex eo, quod tumor apicem prominentem & majorem mollitiem nanciscitur. Hujus autem suppurationis non est definita periodus, sed modo brevior, modo longior. Etsi suppurationis futuræ signa jam manifesta sunt, tamen tempus ad eam perficiendam necessarium diversis in casibus diversum est. Postquam vero pus plene elaboratum est, desinit dolor, qui partem prius vexabat, eumque ponderis sensus sequitur. Si collectio directe sub cute facta est, tumor sit acuminatus, pars mollescit & quandam humoris in se contenti fluctuationem tangentι ut plurimum offert; eodemque tempore rubor cutis antea manifestissimus fere semper penitus evanescit.

C C X L V I I.

In abscessibus, dum una humoris effusæ portio in pus vertitur, aliæ ejus partes & quidem tenuiores iterum absorbentur, ideoque in abscessu aperio pus solum appareat. Et tamen pus nequaquam est merum ac sincerum gluten. Hujus enim in pus conversio, cum sit effectus singularis cujusdam fermentationis, quæ firmam partis inflammatae substantiam & forte cuncta corporis animalis solida afficere valet; multo sane magis & facilius cellulosam telam aggredi debet, cujus proinde etiam pars magna simul eroditur, & puris portionem constituit. Adhæc plerumque fit, ut minora quædam ex rubrorum genere vascula simul erodantur,

dantur, & crux non nihil puri admixtum in abscessu appareat. In universum interna abscessus facies, tanquam pars ulcerata, considerari debet.

C C X L V I I I.

Ex hac suppurationis notione intelligitur, cur abscessus, postquam formatus est, vel per cellulosam telam partium vicinarum serpere, vel, erosio integumentis incumbentibus, in corporis superficiem erumpere, apertumque ulcus gignere possit.

C C X L I X.

Abscessuum ulcerumque inde natorum materies varia est pro varia effusi humoris natura, quippe qui esse potest

- 1°. Humor sero tenuior;
- 2°. Integrum & purum serum;
- 3°. Globulorum rubrorum portio quædam;
- 4°. Materies e glandulis in ipsa parte sitis suppeditata.

Serum, quod secundo loco posui, totum inservit genuino puri efficiendo; cuius præparatio, tam in abscessibus, quam in ulceribus, videtur singularis asorum diathesis inflammatoriæ effectus esse. Et hæc cauſa est, cur ulcera, quæ sinerum pus, id est, rem ad illorum sanationem maxime necessariam, non exhibent, saepenumero ad suppurationem arte perducamus, admovendo stimulantia inflammationem excitantia, velut balsama, mercúria, cuprum &c.

C C L.

Si quando effusus in tunicam cellularem partis inflamatæ humor putrido fermento infectus est, hoc illi mutationem inducit, plenæ putredini magis vel minus similem. Hæc corruptio ubi modica est, & in effusis fluidis atque celluloſo contextu tantum obtinet, pars dicitur *Gangræna* affici; sed, si putrefactio ad vasa & musculos partis usque extenditur, vitium vocatur *Sphacelus*.

C C L I.

Gangræna ejusque sequelæ primum ex fermento putrido in humorem, qui ut plurimum effusus est, agente, oriri possunt. Deinde etiam ex peculiari indole ipsius materiæ, si est in putredinem proclivis, nascuntur; quod tum maxime fieri videtur, cum globuli rubri sanguinis majore copia effusi sunt. Tertius quoque modus est, quo gangræna saepe produci videtur, si nempe violentior inflammationis impetus tonum vasorum destruat, eoque efficiat, ut cuncti humores stagnent, & in putredinem omnino ruant, quæ, simulac orfa & ad aliquem gradum progressa est, vasorum tonum magis magisque labefactat & gangrænam ultra extendit.

C C L I I.

Inflammationis proclivitas ad gangrænam prævideri potest ex summa doloris & caloris in inflammatâ parte vehementia, atque ex magno pyrexiae inflammationem comitantis gradu. Ad-

Adventantem gangrænam indicant partis inflammatae color ex vivo rubore in obscure rubrum versus; vesiculae super ea nascentes; ejusdem porro antea tensæ emollitio, flacciditas & insensibilitas; denique plena doloris cessatio, dum hæc phænomena apparent.

Sub gangrænae progressu color partis lividus & pectoraliter omnino niger fit; calor ex toto cessat; mollities & flacciditas partis augentur; pars denique suam consistentiam prorsus amittit, fœtorem cadaverosum exhalat, jamque sphacelo affecta dici potest.

C C L I I I.

Gangræna igitur tertius est modus, quo inflammatio terminatur. Sed Scholæ etiam quartum plerumque memorant, nempe terminationem in *Scirrhum*, sive indurationem dolore vacantem partis antea inflammatae. Verum tamen hoc est de raro contingentibus; neque adeo ex natura inflammationis quam ex partis laborantis conditione videtur profici. In glandulosis præcipue partibus vitium scirrhi observatur, earumque constructioni, ad humorum stagnationem peropportunæ, tribuendum est. Usus nos docuit, inflammationem raro inducere scirrhos, qui longe frequentius ab aliis causis oriuntur; quin immo inflammationem serius oxyus, ut solet, scirrho supervenientem, non tam augere, quam mutare scirrhum in aliquam abscessus speciem. Quæ cum ita sint, inutile videtur, inter

varios inflammationis exitus de scirrho plura com-
memorare.

C C L I V.

Supersunt tamen nonnulli inflammationis exi-
tus, vulgo neglecti, sed memoratu dignissimi.
Unus est, cum aliqua portio integræ sanguinis
massæ vel per vasa rupta vel per anastomosin in
adjacentem telam cellularem effunditur. Talis
ecchymosis in pulmonum inflammationibus potis-
simum fit, ubi effusa materies, vasa comprimen-
do & circulationem impediendo lethalem producit
suffocationem; & hic forte modus est, quo peri-
pneumonia plerumque in mortem transit.

C C L V.

Alia terminationis species est in nonnullis in-
flammationibus summam cutem occupantibus, ubi
sub epidermide humor effunditur, qui ob spissi-
tudinem suam poros cuticulæ transfire nequit, &
hanc idcirco a cute separat, atque in vesiculæ flui-
dum effusum continentis formam elevat; sic ut
antegressa inflammatio per talem ecchymosin tol-
latur.

C C L V I.

Præter memoratas terminationes alium adhuc
esse inflammationis exitum arbitror. Videlicet, ubi
partes internæ sunt inflamatæ, ex earum super-
fieie semper fere aliquid exsudat, quod partim ap-
paret ex glutinosa concretione circum eas fieri so-

lita

Ita, partim ex tenui seroso latice in cavitates, in quibus inflammata locantur viscera, effuso. Quamvis autem haec phænomena fere semper inflammations lethiferas comitantur, verisimile tamen est, similem exsudationem interdum etiam fieri sub inflammationibus, quæ resolutione terminantur, & vel hanc promovere; quandoquidem exempla sunt inflammationis pneumonicæ in hydrothoracem definentis.

S E C T I O I V.

De causis remotis inflammationis.

C C L V I I.

Causæ remotæ inflammationis ad quatuor titulos referri possunt:

1°. Applicatio rerum stimulantium, quibus ignis actio sive ustio accenseri debet;

2°. Vis externa mechanice agens, & vulnera, contusiones, vel partium nimiam distensionem producens;

3°. Res extraneæ in aliqua corporis parte defixaæ, nec tamen acrem qualitatem, nec formam acuminatam habentes.

4°. Frigus sat magnum, sed gangrænæ tamen protinus inducendæ impar.

Non erit difficile intellectu, quomodo haec causæ remotæ vel singulæ vel concurrentes proximam inflammationis causam constituant.

C C L V I I I.

Nobis non videtur ulla in diversis inflammationibus differentia quoad causam proximam esse, nisi graduum. Et, quamvis forte aliqua inflammatio-
nis diversitas ex diversitate causarum ejus remota-
rum profluere possit, eam prætermittere hoc loco
nobis licet; quoniam phænomena, quæ discrepan-
tes comitantur inflammationes, referri ex maxima
parte possunt ad differentias partium affectarum;
id quod considerantibus genera & species in No-
sologia recensitas manifestum est. In his autem
exponendis quando erimus occupati, aptiorem ha-
bebimus occasionem notandi variantes conditiones
proximæ, vel discrimina causarum remotarum,
quam hoc loco, ubi generatim de his rebus agi-
mus.

S E C T I O V.

De Curatione Inflammationis.

C C L I X.

Indicationes curativæ inflammationis aliæ sunt,
dum resolvi adhuc potest, aliæ, ubi jam ad alium
exitum tendit juxta varias, quas supra recensui, ter-
minationes; quartum quidem signa prognostica non
semper primo intuitu obvia sunt; ideoque inter ini-
tia inflammationis nunquam non resolutio tentanda
est. Quocirca indicationes sunt,

1°. Causas remotas, si evidentes sint, necdum
agere desinat, removere;

2°,

2°. Diathesin phlogisticam, sive in toto corpore,
sive in parte singulari sit, tollere;

3°. Spasmum affectæ partis solvere remediis,
vel toti corpori vel ipsi tantum parti admotis.

C C L X.

Media abigendis causis remotis apta facile deter-
minantur, modo varias earum species, & cuiusvis
peculiarem indolem atque conditiones expendan-
mus. Materiæ acres removendæ, aut earum
actio antevertenda demulcentium administratione.
Potentiæ comprimentes & ultra modum disten-
dentes tolli debent; quod quomodo fieri possit,
ex diversis rebus circumstantibus cognoscitur.

C C L X I.

Diatheſis phlogistica corporis tollitur iisdem
remediis, quæ ad reactionis violentiam in febre
temperandam a nobis proposita & explicata sunt
in §§. CXX.—CXLII., ideoque hoc loco non
repetenda.

C C L X I I.

Media, quibus affecta pars singularis spasmo li-
beratur, fere eadem sunt, atque illa, quæ ad
spasmum ab extremis vasis sub febre auferendum
supra in §§. CXLIV.—CXCIV. laudavimus. Unum
addi convenit, quod topicæ sanguinis detractio-
nes hoc loco imprimis indicantur; item quod
nonnulla ex reliquis remediis versus ipsam partem

affectam potissimum dirigi debent; quorum quidem moderamen plenius explicabitur, quando de particularibus inflammationibus acturi sumus.

CCLXII.

Ubi proclivitas ad suppurationem (CCXLVI.) distincte percipitur; cum hæc ex nostra sententia effusionem humoris non facile resorbendi pro causa habeat; necesse est, ut ille humor in pus convertatur; quæ sola est naturalis via, ad evacuationem ejus obtainendam. Cum autem effusio forte rarius sine aliqua vasorum ruptura continget, ad hanc vero sanandam pus omnino necessarium sit, sequitur, quoties inflammatio in suppurationem tendit, curativam indicationem semper dictare, ut boni puris confectione, quoad fieri potest, properetur.

CCLXIV.

Quem in finem varia remedia, quæ vim specificam habere dicebantur, passim proposita sunt. Nobis vero nullum eorum hac virtute præditum esse videtur. Nec sane meo quide[m] judicio aliud præstari potest, nisi hoc, ut suppuratio applicatis ejusmodi rebus promoveatur, quæ calorem moderatum in parte affecta fovent; quæ tenacitate quadam perspirationem partis coërcent; quæ denique vi quadam emolliendi integumentorum cohæsionem minuere, eorumque erosionem properare valent.

CCLXV.

C C L X V.

Quum in nonnullis effusionibus non solum non fugienda, sed optabilis sit suppuratio, sequi videtur, ut pleraque suppurationis remedia ante memorata omitti debeant. Atque huic etiam animadversioni congruenter praxis nostra vulgo fere dirigitur. Verum ab una parte, sicut observamus certum gradum impetus aucti, seu inflammatorii apparatus, necessarium esse ad genuinam suppurationem perficiendam, sic in illis casibus ea maxime vitari oportet resolutionis auxilia, quæ circulationis vim nimium debilitare possent. Ab altera parte, cum motus sanguinis, ubi vehementior est, bonæ suppurationi obesse deprehendatur, his in casibus, etsi inflammatio ad suppurationem jam vergat, conveniet tamen remedia resolutionis, quæ circuitus vim moderentur, ultra continuare.

Quod ad abscessuum plene maturorum aperituram spectat, hoc ex Chirurgorum scriptis pendendum est.

C C L X V I.

Ubi inflammatio in gangrenam tendit, omnibus modis & auxiliis resistendum est. Cum vero variæ sint caussæ, quæ ad hunc exitumducere possunt, varia quoque remedia erunt necessaria, quæ ex præmissa de causis doctrina intelliguntur.

Postquam gangræna cœpit & aliquo usque progressa

gressa est, non nisi separatione vivi a mortuo curari potest. Hæc separatio in nonnullis casibus potest fieri, & aptissime perficitur *cultro*.

In aliis casibus, eundem ad finem excitatur inflammatio, suppurationem productura in confinio vivæ partis, cujus cohæsio cum particula mortua hac encheiresi penitus solvi potest, sic ut mortua sponte decidat. Interea, dum hæc fiunt, oportet putrefactionem partis ejusque progressus follicite cohiberi. Quem ad scopum varia antiseptica commendata sunt; sed nobis sententia stat, quamdiu tegumenta sunt integra, tamdiu ab illis vix aliquam utilitatem exspectari posse; initium curationis sumi debere a scarificatione partis tam profunda, ut vivam substantiam attingat; & fundamentum ejus esse spem suppurationis ab inflictis vulneribus producendæ, qua maxime opus sit. Atque tales incisiones antisepticis quoque locum faciunt, quorum beneficio cum progressus putrefactionis in mortua parte prohiberi, tum inflammatio in limite partis vivæ necessaria excitari potest.

C C L X V I I.

Ubi gangræna ex toni defectu oritur, & hoc vitium vicinis cum partibus communicatum inflammationem arcet, sine qua vivum, ut diximus, a mortuo separari nequit: oportet tono imminuto medicamentis tonicis interne datis occurrere; quem ad finem cortex peruvianus præ cæteris effi-

efficacissimus est. Hunc enim vi tonica pollere, supra in §. CCIX. a nobis monstratum est; atque ex iis, quæ ibi proposuimus, possunt etiam definiri limites, quibus corticis usus circumscribitur. Etenim in gangræna ex violentiori inflammatione nascente cortex non tantum nihil prodeesse, sed nocere etiam potest. Idem vero tamquam tonicum remedium aptissimus est adversus illam gangrænam, quæ ab immunito tono initium traxit; qualis ex paralysi & œdemate est; item sub inflammatione, in qua primariorum symptomatum cessationem sequitur toni defectus.

C C L X V I I I.

Ceteri inflammationis exitus vel nullam admittunt curationem præter eam, quæ ipsas resolutionis beneficio antevertere conatur, vel ad chirurgicam artem potius, quam ad hunc locum, pertinent.

Igitur tradita generali inflammationis doctrina progredimur nunc ad singula ejus genera ac species sigillatam consideranda. Atqui jam ante sub-indicavimus, discrimina inflammationum potissimum ex diversitate partium affectarum profici; easque primo loco divisimus in cutaneas, viscerales & articulares. Huic ergo distributioni convenienter eas nunc accuratius contemplabimur.

C A P U T II.

De inflammatione strictius cutanea.

C C L X I X.

Inflammationis cutaneæ duo sunt genera, nominibus *Phlegmonis* atque *Erysipelatis* vulgo distinguui solita.

Posterioris sunt etiam duæ species, quæ distinctis vocabulis insigniri merentur. Quando morbus solam cutim afficit, intacto fere reliquo corpore; item quando totius corporis affectus tantummodo externæ inflammationis symptoma est: vitium appellabimus *Erythema*. Ast, ubi inflammatio externa verum est exanthema, & morbi in toto corpore existentis symptoma, tunc *Erysipelas* dicemus.

C C L X X.

Solum Erythema hoc loco a nobis considerabitur. Quod ad phænomena, quibus phlegmone ab erythematè distinguitur, hæc ex Nosologia nostra peti debent. Nunc hoc unum notamus, differentiam phænomenon videri ex varia inflammationum sede profluere. Verosimile est, inflammationem sub phlegmone vasa potissimum afficere, quæ internam cutis superficiem perreptant, cum laxo, qui adjacet, textu celluloſo communicantia; unde copiosior humoris & nominatim feri in pus convertibilis effusio obtinet. At in erythematè vasa

in

In externo cutis ambitu cum rete mucoso communicantia potius afficiuntur; ideoque alia effusio locum non habet, nisi, quæ epidermidem separat, & vesiculæ formandæ occasionem præbet; siquidem minor vasorum diameter non nisi tenuioris fluidi, raro in pus convertibilis, effusionem permittit.

Præter hæc discrimina conditionum, quas duæ illæ inflammationis species exhibent, credibile est, illarum quoque causas esse diversas. Erythema ab acribus quibuscumque ad externam cutim applicatis producitur; &, si quando a causa interna ortum ducat, acrimoniæ versus cutis superficiem pulsæ & sub cuticula effusæ effectus est. In phlegmone talis acrimonia non frequenter evidens est.

C C L X X I.

Has differentias in sedibus & causis phlegmonis atque erythematis si admittamus, perspicuum est, erythema eas tantummodo partes internas afficere debere, quarum superficies epithelio, id est, membrana epidermidi analoga, tegitur. Ex iisdem causarum atque sedium differentiis intelliguntur, quæ a scriptoribus practicis circa curationem variæ inflammationis cutaneæ notata sunt. His tamen enucleandis nunc non immorabimur, quoniam ad Chirurgiæ forum pertinent, quod hoc in cursu ingredi nobis non licet. Quam ob causam varietates externalrum inflammationum, quibus ex-

pen-

pendendis aptus hic locus esset, etiam prætermittemus.

C A P U T . I I I .

De Ophthalmia, sive oculi inflammatione.

C C L X X I I .

Oculi inflammatio duplicis generis notanda est; siquidem vel membranas bulbum oculi efficienes occupat, quando *Ophthalmia membranarum* vocatur; vel in glandulis sebaceis intra tarsum sive limbum palpebrarum sitis sedem habet, quo in casu *Ophthalmia tarsi* dici potest.

Duo hæc genera sæpen numero conjuncta existunt; alterutro alterum facile excitante. Nihilominus distingui debent, quia interest scire, quænam primaria sit affectio.

C C L X X I I I .

Inflammatio membranarum maxime & frequenter occupat tunicam adnatam, cuius turgentia vasa eam declarant; siquidem vasa rubra, quæ naturaliter ibi sunt, non tantum volumine crescunt, sed majore etiam numero, quam secundum naturam, apparent. Hanc vasorum intumescentiam comitatur dolor, maxime sub motu bulbi; & hinc nascens irritatio, perinde atque aliis quilibet stimulus ad oculi superficiem adplicitus, lacrymarum ex glandula ab his nominata effusionem producit.

In-

Inflammatio plerumque & præcipue ibi afficit adnatam, ubi anteriorem bulbi partem investit; verum tamen serpit etiam familiariter per continuationem adnatæ versus partem palpebrarum interiorem; cumque adnata ad tarsum usque palpebrarum extendatur, tubuli excretorii glandularum sebacearum ibi patentes non raro quoque afficiuntur. Quodsi inflammatio adnatæ gravior sit, potest facile in subjacentes oculi tunicas diffundi, quin ad ipsam retinam pervenire, quæ inde tantam sensus teneritudinem accipit, ut a levissimæ lucis impulsu doleat.

C C L X X I V.

Inflammatio membranarum varios habet gradus, prout adnata magis vel minus affecta est; item prout inflammatio vel solam adnatam vel subjacentes quoque tunicas occupat. Secundum has differentias diversæ ejus species constitutæ sunt, & singulis suum est nomen tributum. Nobis tamen non lubet hæc prosequi, quia persuasum est, omnes membranarum Ophthalmias tantum gradu inter se differre, & remediis similibus, variata tantum proportione, adhibendis curari.

C C L X X V.

Proxima Ophthalmiaæ causa eadem est atque inflammationis generalis; & variæ ejus conditiones explicari possunt tum ex differentiâ causarum remotarum, tum ex diversitate partium oculi, quas

inflammatio occupavit. Hæc cum ex ante dictis intelligantur, nunc protinus ad curationem progressumur.

C C L X X V I.

Membranarum Ophthalmia postulat eadem, quæ inflammationum generi convenient, remedia. Si ergo oculi tunicæ interiores affectæ sunt, præfertim, si pyrexia simul adest, largæ sanguinis detractiones necessariæ sunt: hoc tamen oppido raro est, siquidem Ophthalmia plerumque affectio est mere topica, quæ modicam & saepè nullam pyrexiam habet comitem. Sola igitur sanguinis detractio, quæ generalis vocatur, parum hic præstat; sed topicæ potissimum venæ sectiones, id est, missiones sanguinis e vasibus parti inflamatæ vicinis prosunt. Atque his etiam sectio venæ jugularis vel arteriæ temporalis quodammodo accenserri debet. Sufficit plerumque hirudines aliquot circa oculum apposuisse; & forte melius adhuc est, post scarificationem temporum admotis cucurbitulis sanguinem detrahere. Multis in casibus remedium efficacissimum est scarificatio, ad internam palpebræ inferioris partem facta, atque ipsorum vasculorum, quæ super adnata turgent, incisio.

C C L X X V I I.

Præter sanguinis missiones etiam alvi purgatio, tanquam remedium inflammationi universaliter conveniens, visa est, peculiariter illis inflammatio-

tionibus, quæ aliquam capitis partem occupant, ideoque nominatim Ophthalmiæ admodum accommodata; & quandoque omnino utilis est; sed ob rationes, occasione venæ sectionis generalis paullo ante propositas, nequaquam in Ophthalmia utilitatem præstat evacuationi, quam facit, proportionalem.

C C L X X V I I I.

Ad spastum affectæ partis solvendum, atque humorum congestionem avertendam, vesicatoriorum in vicinia applicitorum usus ab experientia comprobatus est.

C C L X X I X.

Ophthalmia, cum inflammatio externa sit, topica remedia admittit. Verum tamen omnia, quæ cæorem augent & partis vasa relaxant, in universum nocent; e contrario aër frigidus ad oculum admissus, & medicamina refrigerantia atque adstringentia, modo nullam irritationem simul faciant, extus adhibita prosunt.

C C L X X X.

In curatione Ophthalmiæ omnia irritamenta, præcipue lux, studiose vitari debent. Solum vero tertumque lucis fugiendæ remedium est ægri in cubiculo valde obscuro detentio.

C C L X X X I.

Hæc sunt adversus Ophthalmiam membranarum

auxilia. Eademque contra Ophthalmiam tarsi, in quantum hæc ex illa gignitur, necessaria esse possunt. Sed, quoniam Ophthalmia tarsi sæpenero acrimoniæ in glandulis sebaceis palpebrarum depositæ effectus est, idcirco remedia interna pro diversitate peccantis acrimoniæ varia exigere potest, quæ quidem ex historia Scrophulæ, Syphilidis & aliorum morborum, quibus hæc Ophthalmia implicari solet, peti debent. Harum vero acritatum ubi non sunt evidētia signa, ibi convenit, talia remedia, quæ evacuandæ acrimoniæ generaliter apta sunt, velut mercurium adhiberi.

C C L X X X I I.

Sub Ophthalmia tarsi fere semper evenit, ut ulceratio quædam ad tarsum formetur. Hæc postulat applicationem mercurii vel cupri, quæ sola totum subinde vitium tollunt; eademque, etiamsi malum topicum a vitio totius corporis proficiuntur, utilia esse possunt.

C C L X X X I I I.

Sive vero membranarum sive tarsi Ophthalmia sit, palpebrarum conglutinatio, quæ sub somno solet accidere, antevertatur necesse est; quod quidem fieri potest pauxillum mitis & unctuosæ medicamenti inter palpebras, antequam æger cubitum eat, illiniendo.

C A P U T IV.

De Phrenitide.

C C L X X X I V.

Hæc inflammatio est partium in cavo craniū contentarum, adeoque vel membranas cerebri, vel ipsius substantiam afficere potest. Evidem Nosologi duos hosce casus putarunt ex differentiis symptomatis posse discerni, ideoque distinctis nominibus insigniri debere. Nobis vero hanc distinctionem neque observationes nec cadaverum sectiones approbarunt; ideoque satius videtur, ambos communi Phrenitidis titulo comprehendere.

C C L X X X V.

Phrenitis idiopathica rarer morbus est, sympathica frequentior; utriusque diagnosis sæpenero difficilis; quoniam symptomata, quæ vulgo morbi præsentiam declarare dicuntur, sine interna inflammatione aliquando adsunt; & vice versa sub dissectione cadaverum quandoque cerebrum inflammatum cernitur, ubi pauca inflammationi propria symptomata apparuerant.

C C L X X X V I.

Certiora Phrenitidis symptomata sunt: pyrexia acuta; vehemens capitis dolor; rubor faciei & oculorum; lucis vel strepitus intolerantia; agrypnia; & delirium ferox atque impetuosum. Non-

nulli Nosologi hæc symptomata inflammationi membranarum propria esse, existimarunt; ipsius vero cerebri inflammationem quodam comatis gradu ab illa distingui. Quam ob rem in mea Nosologia characteri Phrenitidis *typhomaniam* adjeci; sed posterioribus curis intellexi, illam distinctionem non niti idoneo fundamento; neque varietates passim occurrentes, si a signis paullo ante propositis recedamus, certis terminis circumscribi posse.

CCLXXXVII.

Causæ Phrenitidis remotæ sunt omnes stimuli, qui directe membranas vel substantiam cerebri afficiunt, illique imprimis, qui sanguinis impetum in vasa cerebri augent. Inter eas eminent animi pathemata & nonnulla venena, quorum tamen operandi modus haud satis intelligitur.

CCLXXXVIII.

Curatio Phrenitidis non alia est, quam inflammationis in genere; nisi quod contra hunc morbum remedia potentissima protinus adhiberi debeant. Imprimis opus est larga & iterata sanguinis detractione ex vasis parti affectæ quam proximis. Sectio arteriæ temporalis commendata fuit, nec immerito; sed non satis commode perficitur, Jugularium venarum incisio nobis videtur præstantior, sic tamen, ut huic jungatur sanguinis ex temporibus detracçio ope cucurbitularum & scaphificationis.

CCLXXXIX.

C C L X X X I X.

Catharsis, quoniam revulsionem facere potest, verisimiliter in hoc affectu majorem, quam in nonnullis aliis inflammationibus, utilitatem præstat. Eidem revulsionis scopo pediluvia calida inserviunt; horum tamen usus aliquantum ambiguus est. Illud plerumque prodest, sanguinis versus vasa cerebri impetum erecto corporis situ temperare.

C C X C.

Vesicantia in hoc morbo ut plurimum utilia sunt, maxime tamen, si proxime ad partem affectionem admoveantur.

C C X C I.

Quidquid denique ad regimen antiphlogisticum spectat, hic necessarium est, imprimisque aëris frigidi admissio. Quin etiam actu frigida nudo capiti applicata subinde profuisse ab usu novimus; quæ vero ita refrigerant, ut solet acetum, horum applicatio semper & certo conducit.

C C X C I I.

Compertum est, opiata in omnibus cerebri inflammationibus nocere. Notari autem hoc loco meretur, ob ambiguitatem in §. CCLXXXV. memoratam, practicorum observationes de iis, quæ juvant & laedunt in hoc morbo, admodum incertas esse.

C A P U T V.

De Angina seu Cynanche.

C C X C I I I.

Hoc nomen omnibus faucium internarum inflammationibus commune est, quæ tamen secundum varias partes affectas, & inflammationis discrimina distingui debent. Quare in Nosologia nostra, postquam Cynanchen tanquam genus descripsimus, ejus quinque diversas species distinguimus, hoc quoque loco sigillatim considerandas,

S E C T I O I.

De Cynanche tonsillari.

C C X C I V.

Hæc membranæ faucium mucosæ inflammatio est, eam potissimum folliculorum mucosorum congeriem, quæ tonsillas constituit, afficiens; unde juxta velum pendulum palati, perque uvulam sic spargitur, ut totam sæpe membranam mucosam occupet.

C C X C V.

Morbus manifestatur tumore ac partium quodam rubore; deglutione dolorifica atque diffici; molesta oris & faucium visciditate; assidua quoque muci, sed diffici, excretione; denique pyrexia his symptomatis semper adjuncta.

C C X C V I.

C C X C V I.

Hæc Anginæ species nunquam est contagiosa; frequenter resolutione terminatur, nonnunquam suppuratione, rarissime gangræna, quāmvis in hoc morbo maculæ lividæ ad fauces interdum apparet.

C C X C V I I.

Hic morbus oritur plerumque a frigore, ad externum corpus & præcipue circa collum applicato. Ut plurimum juvenes & sanguine divites corripit; nec raro proclivitas in eum consuetudine inducitur. Frequentior est vere & autumno, quia caloris & frigoris vicissitudines tunc admodum crebræ sunt. Inflammatio tumorque initio plerumque in una tantum tonsilla valde notabiles sunt; paulatim ut in hac decrescent, sic in altera augentur.

C C X C V I I I.

In curatione hujus inflammationis aliqua sanguinis detractio utilis esse potest; sed raro largæ & generales missiones necessariæ sunt. Venarum raninarum sectio nullius momenti esse videtur. At sanguisugæ externis faucibus appositæ efficaciores sunt.

C C X C I X.

Inflammatio sæpe minuitur lenibus adstringentibus, imprimisque acidis, parti inflammatae applicatis. In multis casibus nihil reperitur præstan-

tius, quam vapor aquæ calidæ in fauces recep-tus.

C C C.

Cetera hujus mali remedia sunt rubefacientia, vel vesicantia, ad cervicem externe adhibita; at-que his conjunctus purgantium antiphlogisticorum usus; denique omnia ad regimen antiphlogisticum pertinentia, nisi quod frigoris applicatio vitari debeat.

C C C I.

Hæc inflammatio sæpe, ut diximus, terminatur resolutione, quam plerumque sudor comitatur. Hic proinde prudenter fovendus & promovendus est.

C C C I I.

Ubi morbus inclinare ad suppurationem cer-nitur, nil utilius esse potest, quam vapor aquæ fervidæ frequenter in fauces attractus. Abscessus si tumorem magnum facit, nec sponte rumpitur, lanceola aperiendus est; neque hoc multam cau-tionem exigit, quando quidem inflammatio ad-huc vigens levi tonsillarum scarificatione mitigari potest. Casum, in quo θεραπεία necessaria fue-rit, nullum unquam vidi.

SEC-

S E C T I O I I.

De Cynanche maligna.

C C C I I I.

Hic morbus est contagiosus, raro sporadicus, plerumque epidemicus. Omnis aetatis homines, sed praeceteris pueros atque infantes aggreditur. Cujusvis etiam constitutionis homines contagio objectos, sed promptissime tamen debiles atque infirmos corripit,

C C C I V.

Morbum plerumque comitatur insignis pyrexia, cuius accendentis symptomata, velut, horrores crebri, nausea, anxietas, atque vomitus, saepe prima sunt incipientis morbi signa. Eodemque tempore cervicis rigor quidam ac simul in faucibus internis aliqua molestia, & voeis raucedo percipiuntur. Fauces, si inspiciuntur, obscure rubentes, & aliquantum tumentes apparent; sed raro notabilis tumor est: raro magna difficultas aut dolor in deglutitione. Brevi post cernuntur ad inflammatas partes passim maculae albescentes aut cinereo colore, quae latiores sensim factae coëunt, & totas fere fauces crustis crassiusculis operiunt. Crustis postea decidentibus ulcerationes apparent. Interea dum haec in faucibus fiunt, urget simul coryza, qua tenuis, acer, & male olens humor effunditur, nares & labia corrodens. Saepe etiam, præcipue in infantibus, dejectiones crebræ

crebræ incident, materie acri & tenui per anum effluente, & anum atque vicinas partes excoriante.

CCCV.

Una cum his symptomatis pyrexia pergit cum pulsu parvo, frequente & inordinato. Sub vesperam quotidie exacerbatio manifesta est, mane aliqua remissio. Functiones animales multum debilitantur. Delirium subinde, saepe coma subit.

CCCVI.

Die secunda, subinde serius, in cute efflorescunt aliquando puncta exigua vix eminentia, sed tamen plerumque maculæ rubræ, serpentes sensim atque ita confluentes, ut universam cutim occupent. Primo quidem in facie & ad cervicem apparent, dein spatio aliquot dierum ad artus inferiores usque paulatim diffunduntur. Hæc scarlatina rubedo saepe admodum notabilis est in manibus & extremis digitis, qui rigent & tument. Nec tamen ista eruptio regularis est, sive initium sive constantiam seu durationis tempus spectemus. Ut plurimum per quatuor dies insidet, tandemque, cuticula in squaminas quasi fatiscente, decedit. Sed, neque dum prodit, neque sub desquamatione, semper remissionem pyrexiae aut ceterorum symptomatum parit.

CCCVII.

CCCVII.

Morbi progressus ex faucium atque pyrexiae statu æstimari debet. Ubi ulcera faucium ex colore livido & atro, ex fœtore spiritus, & ex aliis acrimoniæ humorum signis deprehenduntur in gangrænam vergere: hæc sæpe ad altum gradum adscendit, & simul assidue crescunt febris putridæ symptomata. Sic tertio sæpe die, aliquando serius, sed semper fere ante septimum, moritur æger. Acris materies ex male affectis faucibus prodiens necessario pro parte in pharyngem labitur, & hinc œsophagum, quandoque etiam totam intestinalem fistulam inficit, putredinem propagans & inducta frequenti diarrhoea ægrum sæpe exhauriens.

Eadem acrimonia in fauces effusa iterumque absorpta glandulas lymphaticas circa collum sæpe admodum tumefacit; nonnunquam eo usque, ut æger suffocetur.

Organa respirationis raro prorsus intacta manent; sed a serpente inflammatione sæpiissime etiam afficiuntur. Dissectionibus cadaverum constat, sub hac Cynanche maligna laryngem & tracheam crebro haud secus vitiari, quam in Cynanche tracheali; quapropter verosimile est, illam perinde atque hanc sæpe lethalem esse inducendo subitam suffocationem. Nec tamen nulla suspicandi ratio est, qui cadavera fecuerunt, hos non semper duas istas anginæ species satis accurate distinxisse.

CCCVIII.

CCC VIII.

Hi sunt lethales exitus Cynanches malignæ, qui tamen non semper obtinent. Interdum ulcera fauciū mitiorem habent indolem, & febris minus vehemens est minusque putrida. Et sane, si febris, dum efflorescentia in cute appetet, remittitur; si ipsa efflorescentia per tres quatuorve dies insidet, donec totum corpus occupaverit; sique tunc desquamatione finitur, quæ ulteriorem febris remissionem adfert: omnino spes magna est, febrem ante septimum diem aut hoc ipso inter modicos sudores ex toto finitum iri; atque etiam reliquias morbi paucis diebus post per excretiōnem crustarum ex faucibus factam iri sublatum, somno, cibi appetitu, ceterisque sanitatis signis interea plenissime redeuntibus. Ex quibus cum præcedente paragrapho collatis, quæ ad hujus morbi prognosin pertinent, facile intelliguntur.

CCC IX.

In curatione hujus morbi septica ejus diathesis præcipuam medici attentionem meretur. Magna, quæ morbum comitatur, debilitas omnem evacuationem, sive sanguinis missione sive cathartico fiat, fere noxiam reddit, præterquam paucis in casibus, ubi minor debilitas, atque inflammatio-
nis symptomata graviora sunt. Fauces contra effectus materiæ acris, quæ in eas effunditur, defendendæ sunt; ideoque gargarismatibus vel in-
jectio-

jectionibus antisepticis frequenter eluendæ. Totius etiam corporis proclivitas in putredinem arcenda & corrigenda, datis interne antisepticis, maxime Corticis Peruviani substantia, cuius usum ab initio ad finem morbi usque continuari expediat. Emetica porro sive ad nauseam tantummodo sive ad vomitum excitandum data prosunt. Sicubi insignior tumor occurrit, vesicantia extrinsecus admota opem ferunt; eademque omnibus in casibus ad minuendam internorum inflammationem apta esse possunt.

S E C T I O III.

De Cynanche tracheali.

C C C X.

Hoc nomine insignitur inflammatio glottidis, laryngis, aut partis tracheæ superioris, sive membranas sive musculos adjacentes occupaverit. Quæ quidem vel primario has partes aggreditur, inque iis solis subsistit; vel ex prægressa Cynanche tonsillari aut maligna se se diffundente secundario in has partes venit.

C C C X I.

Utroque modo rarus est morbus, cuius pauca tantum exempla in Medicorum scriptis annotata sunt. Morbus declaratur voce peculiariter stridula; difficulti respiratione; strangulationis sensu circa laryngem; denique pyrexia priorum comite.

CCCXII.

CCCXII.

Ex symptomatum natura corporumque hoc malo peremtorum dissectionibus omnis circa inflammatoriam hujus morbi indolem dubitatio penitus sublata est. Nec tamen semper consueta inflammationis stadia decurrit, sed saepe tantam fistulæ aëriferæ obstructionem producit, ut suffocatio inde ac subita mors sequatur.

CCCXIII.

Hujus mali naturam serio intuentibus ac reputantibus apertum est, remedia contra inflammationem efficacissima simul adhiberi debere, ac symptomata comparere incipiunt. Utrum imminentia suffocationi remedio aliquo idoneo occurri queat, nobis per experimenta nondum determinare licuit.

CCCXIV.

Quæ de laryngis partiumque cum illo nexarum inflammatione a scriptoribus medicis hactenus prodita sunt, comprehenduntur iis, quæ modo diximus; atque omnia fere exempla hujus anginæ ab Auctoribus proposita ex adultis hominibus sunt.

Verum enim vero peculiaris datur hujus generis affectio, infantibus infesta, quæ ad nostram usque ætatem fere prætervisa fuit. Primus utique, qui accuratam hujus mali historiam scripsit, est clarissimus *Home*, quem complures alii in morbo describendo ita secuti sunt, ut etiam in diversas de eo

sen-

sententias iverint. His opinionibus excutiendis impræsentiarum non immorabor, sed tantum morbi historiam atque curationem proponam, quatenus ex nostris æque ac clarissimi *Homei*, aliorumque in vicinia nostra medicinam cum laude facientium Virorum observationibus patent.

CCCXV.

Hic morbus raro infantes ante ablactationis tempus afficit. Hoc tempore exacto, quo juniores sunt; eo magis huic morbo sunt obnoxii. Ejus frequentia progressu ætatis minuitur; neque exempla sunt infantum, qui post annum ætatis duodecimum eo laboraverint. Loca mediterranea pariter ac maritima infestat. Contagione propagari non videtur. Atque eundem puerum repetito etiam invadit. Sæpe frigus corpori applicatum evidens ejus cauſsa est; hinc tempore hiemali & verno utplurimum grassatur. Plerumque a consuetis catarrhi symptomatis initium sumit; tamen nonnunquam suis protinus signis ac symptomatis semet manifestat.

CCCXVI.

Symptomata ipsi propria sunt sequentia: Rauicitas cum stridore quodam & strepitu inter loquendum æque ac tussiendum percipitur, quasi ex fistula metallica sonus prodiret. Eodemque tempore adsunt doloris quidam sensus circa laryngem, aliqua spirandi difficultas, & sub inspiratio-

ne strepens sonus, quasi angustata esset aspera arteria. Horum comes tussis plerumque est sicca; & si quid forte emolitur, hoc speciem habet materiæ purulentæ, quandoque laciniarum, quæ portiunculis alicujus membranæ similes sunt. Quibus omnibus adjunguntur pulsus frequens, irrequies, & ingratus caloris sensus. Inspectæ fauces internæ aliquando nullas inflammationis notas exhibent, sed frequentius apparent rubræ, quin etiam tumefactæ, nec numquam materia oppletæ, isti, quæ tussiendo ejicitur, haud absimili. Inter hæc symtomata æger interdum subito moritur, præsertim, si spirandi magna difficultas & strangulationis in gutture sensus existant.

CCCXVII.

Multorum infantum, qui hoc morbo extincti erant, secta cadavera sunt. In his tantum non semper visa est præternaturalis quædam membrana, superficiem internam superioris tracheæ partis ex toto investiens, & deorsum per nonnullos bronchiorum ramos continuata. Observatumque est, hanc pseudomembranam facile separabilem, & subinde ex parte omnino separatam fuisse a vera tracheæ membrana ei subjecta, quæ quidem ipsa plerumque integra, hoc est, absque ullo erosionis vel ulcerationis signo apparet; sed tamen quandoque vestigia inflammationis exhibet, & obducta est materie puri analoga, qualis tussiendo ejicitur; nec raro similis materies in bronchiis, insigni copia, invenitur.

CCCXVIII.

CCCXVII.

Ex causis remotis hujus mali; ex symptomatis catarrhalibus plerumque morbum comitantis; ex pyrexia numquam non praesente; ex similitudine praeternaturalis membranæ, quæ sub hoc orbo in trachea invenitur, cum illa, quam Cynanche maligna tracheæ communicata parit; deque ex vestigiis inflammationis intra tracheam, ræ in dissectione apparent: concludere nobis licet, causam morbi proximam esse inflammatorium erectum in membrana mucosa laryngis & tracheæ, quo efficiatur exsudatio illi analoga, quæ viscerum inflammatorum superficie cernitur, & partim crustæ membranaceæ forma, partim specie idi puri similis apparet.

CCCXIX.

Morbus, licet inflammatorius sit, raro suppuratione aut gangraena terminatur. Gravissimum ejus symptomata videtur esse spasmus, glottidis musculos contrahens, ut suffocationem minetur.

CCCXX.

Ubi morbus in salutem terminatur, videmus inflammationis fieri resolutionem; spasmum glottidis solvi; materiam e trachea exsudatitem atque istulas ibi formatas exscreari; quin etiam satis quenter solvi morbum videmus sine expectoratione, utique non aliis sputis, quam sub catarrvulgarí excerni solent.

CCCXXI.

Exitus in mortem fit suffocatione, quam spasimus glottidis verisimiliter inducit; quæ tamen interdum a nimia materiæ bronchia oppilantis quantitate proficiunt videtur.

CCCXXII.

Quandoquidem morbum inflammatorium arbitramur, curationem ejus solitis contra inflammationem remediis tentare solemus; & hæc etiam plerumque profuisse vidimus. Sanguinis missio tam generalis quam topica, præsentissimam sæp opem tulit; eademque repetita morbum ex integrō sustulit. Vesicatoria prope partem affectam applicita pariter conduxerunt. Vomitus sub primum morbi insultum illico post venæ sectionem excitatus, summæ utilitatis esse videtur & subinde morbum extemplo fugat. Per omnimali stadia regimen antiphlogisticum necessarium est, & frequens imprimis laxantium enematus. Tametsi spasmus glottidis frequenter causam mortis esse credimus, tamen ab antispasmodicis bonum effectum numquam observavimus.

SECTIO IV.

De Cynanche pharyngea.

CCCXXIII.

In Cynanche tonsillari inflammatio membranæ mucosæ per pharyngem perque initia œsophagi

sæpe diffunditur, indeque deglutitionem difficilem reddit & solito molestiorem. Talis vero casus non debet a Cynanche tonsillari tanquam distincta species separari; nec postulat, nisi majorem in detrahendo sanguine cæterorumque remediorum administratione diligentiam. Nobis certe numquam videre contigit casum, ubi inflammatio a pharynge orsa fuerit, aut in hac sola parte substituerit. Est tamen ejusmodi casus in scriptis Practicorum memoratus; qui idcirco consuli debent, quoad signa diagnostica pariter ac methodum mendendi.

S E C T I O V.

De Cynanche parotidea.

C C C X X I V.

Hic morbus per omnes Europæ regiones vulgo notus est, sed parum diligenter a Medicis descriptus. Sæpe per populum grassatur & manifesto contagiosus est. Incipit a solitis pyrexiae symptomatibus, quam brevi post insignis externalium faucium & cervicis tumor sequitur. Hic primo tanquam tumor glandularis mobilis ad angulum maxillæ inferioris apparet; sed cito per magnam colli partem diffunditur, quandoque uno tantum in latere, frequentius in utroque æqualiter. Ad quartum usque diem tumor increscit; qua periodo exacta minuitur, ac paucis diebus post ex toto evanescit. Recedente faucium tumore, in

maribus testiculi, in fœminis mammæ, intumescent aliquantum; atque novi hi tumores nonnumquam lati, duri, ac dolorifici sunt, raro tamen valde molesti aut diu inhærentes. Pyrexia hunc morbum comitans plerumque levis est, atque una cum faucium tumore recedit; interdum tamen, si testiculorum tumor faucium tumorem non excipiatur, aut alteruter subito repressus fuerit, intenditur febris, accedente etiam delirio, atque sic quandoque ad interitum fatalis est.

C C C X X V.

Quum hic morbus sine periculosis aut valde molestis symptomatibus plerumque decurrat, vix eget medicamentis. Regimen antiphlogisticum & evitatio frigoris ut plurimum satisfaciunt. Ubi vero, recendentibus tumoribus, pyrexia intenditur, & cerebro injuriam minatur, e re est, calidis fomentis tumorem revocare, ac vomitu excitato, detractione sanguinis, aut vesicantibus, nascens ex tumorum absentia periculum antevertere.

C A P U T VI.

De Pneumonicis inflammationibus.

C C C X X V I.

Lubet hoc titulo omnes simul inflammationes complecti, quæ vel thoracis viscera, vel membranam hoc cayum intus succingentem occupant.

Et

Etenim nec signa, quæ nobis diagnosis faciunt, sedem morbi accurate declarant, nec diversæ inflammationis sedes vel magna symptomatum discrimina producunt, vel medendi methodum notabiliter mutant.

CCCXXVII.

Pneumonica inflammatio, quamcunque habeat sedem, semper agnosci & distingui mihi videtur posse his signis: pyrexia; spirandi difficultate; tussi & dolore in parte quadam thoracis. Verum tamen hæc symptomata variis in casibus varie modificantur.

CCCXXVIII.

Morbus fere semper a stadio frigoris orditur, ceterisque pyrexiae symptomatis stipatur; quamquam exempla quædam sunt, in quibus nec pulsus frequentior, nec calor corporis ultra naturalem mensuram auctus videantur. Pyrexiam quandoque ab initio cetera symptomata statim comitantur; sed frequentius aliquot horis ante existit, quam reliqua symptomata evidentia sunt, imprimisque antequam doloris sensus percipitur. Pulsus plerumque frequens, plenus, fortis, durus & celer est; sed tamen in paucis quibusdam casibus, præcipue in statu morbi proiectiore, debilis & mollis, simulque inæqualis deprehenditur.

CCCXXIX.

Spirandi difficultas semper adest, maxime sub inspiratione, partim quia affecti pulmones plenam dilatationem non facile admittunt, partim quia pulmonum dilatatio dolorem, qui morbum comitatur, auget. Respirationis hæc difficultas pro vario ægri situ variat, estque major in una, quam in alia corporis positura. Plerumque quidem augetur, si æger in latus affectum decumbat; sed tamen contrarium subinde obtinet. Sæpiissime æger in neutrum latus facile decumbere potest, nec nisi supinus commodiuscule jacet; quandoque spiritum, nisi erecto nonnihil corpore, libe-
rius ducere nequit.

CCCXXX.

Tussis hunc morbum nunquam non comitatur; sed in diversis casibus varia est, minus vel magis urgens & dolorifica. Aliquando sicca est, h. e. absque ulla expectoratione, præsertim inter morbi initia; sæpius tamen etiam ab initio humida est, trahens sputum consistentia & colore varium, nec raro sanguine tinctum.

CCCXXXI.

Dolor, qui hunc morbum comitatur, modo hanc, modo aliam thoracis partem, frequentissime tamen alterutrum latus occupat. Opinio erat per vulgata, dolorem frequentius in dextro latere,

quam

quam in sinistro, existere; sed hoc nequaquam certum; contra ea certissimum est, sinistrum latus & epissime fuisse affectum. Dolor subinde quasi ubi sterno percipitur, alias ad tergum inter scapulas; idemque ubi latera tenet, modo altius, modo profundius sedet, atque nunc sterno, nunc spinæ est propior. Sed locus, quem frequentissime sufficit, est ad sextam aut septimam costam, & quem circa partem ejus medianam vel sterno aliquanum propiorem. Idem saepe vehemens ac punctorius est; interdum vero obscurior & obtusior, cum ponderis potius quam doloris sensu. Tum vero maxime vehemens & punctorius est, cum sedem novissime descriptam habet. Denique in uno ut plurimum loco fixus hæret, ita tamen, ut subinde a latere ad scapulam proximam, vel ad ternum & claviculam alterius lateris migret.

CCCXXXIII.

Discrimina symptomatum modo memorata sedem morbi veram non semper accurate declarant. Mihi quidem videtur vitium semper hærere, utique incipere, in aliqua parte pleuræ, dummodo hanc membranam in tota sua latitudine, ut hodie fieri solet, sumamus; quatenus nempe non solam cavi thoracici internam superficiem investit, sed mediastinum quoque format, & super pericardium, superque omnem pulmonum ambitum extensa est.

C C C X X X I I .

Itaque diversæ hujus mali appellationes a partium, quæ præ cæteris affectæ videantur, diversitate desumptæ solidum fundamentum non habent. Nomen *pleuritis* haud inepte ad omnes varietates adhiberi potest; & sane perperam uni inflammationi, quæ a pleura costali incipit, & hanc maxime torquet, tribuitur. Quem quidem casum subinde accidere fatemur; sed tamen perrarum credimus esse; & malum multo frequentius ordiri a pleura, pulmones succingente, & hanc præcipue afficiens omnia producere symptomata, quæ pleuritidi, veræ vulgo dictæ, tribui solent, arbitramur.

C C C X X X I V .

Nonnulli Medici sibi persuaferunt, existere inflammationis pneumonice speciem, quæ nomen *peripneumoniæ* sigillatim mereatur: illam scilicet, sub qua inflammatio a parenchymate, seu textu cellulari pulmonum, incipiat, suamque in eo sedem præcipue figat. Mihi vero valde dubium est, an ulla unquam inflammatio pulmonum acuta, morbusve ullus, peripneumoniæ titulo insignitus, hujus ingenii fuerit. Verique similius est, omnem inflammationem acutam in parte aliqua membranosa primum nasci. Et sane in omnibus hominum ex peripneumonia mortuorum sectionibus visa est externa pulmonum membrana aut pleuræ pars quædam notabiliter affecta.

CCCXXXV.

C C C X X X V.

Inflammatio pleuræ, qua parte superiorem dia-phragmatis superficiem contegit, a cæteris distingui est solita dato peculiari *paraphrenitidis* nomine; utpote quam propria quædam symptomata, velut delirium, risus fardonicus, aliique motus convulsivi credebantur comitari. Sed certissimum est, illam pleuræ partem, quin ipsam muscularēm dia-phragmatis substantiam inflammatas sæpenumero fuisse sine ullo memoratorum symptomatum. Nec mihi vel seftio cadaverum vel historia anatomes pathologicæ argumenta exhibuit, quibus confirmaretur opinio, inflammationem pleuræ in ea parte, qua septum transversum tegit, frequentius delirio stipari, quam alias pneumonicas inflammations.

C C C X X X V I.

Circa inflammationis pneumonicae sedem porro notandum est: tametsi in uno pleuræ loco ordiatur, & præcipue subsistat, tamen frequenter ad ceteras ejus partes propagari, & plerumque universam pleuram morbosa intemperie afficere.

C C C X X X V I I.

Frequentissima inflammationem pneumoniam antecedens causa est applicitum corpori frigus, perspirationem impediens, & sanguinem ad pulmones determinans, dum ipsi simul pulmones frigoris actioni objiciuntur. Hæ conditiones tunc

maxi-

maxime agunt, cum diathesis phlogistica in corpore prævalet; adeoque in hominibus robustissimis, sub climate frigido, hyemali, & imprimis vernali tempore, quando caloris frigorisque vicissitudines frequentes sunt. Nihilominus per omnes anni tempestates morbus hic nasci potest; modo dictæ aëris mutationes obtineant.

Aliæ quoque causæ occasionem huic malo dare possunt, velut obstrunctiones, contentiones, & aliæ quævis injuriæ organis pneumonicis illatæ.

Pneumonica inflammatio ita quandoque est per populum grassata, ut specificæ alicujus contagionis suspicionem excitaverit; cujus tamen evidenter demonstrationem nusquam invenimus. Conferatur MORGAGNI *de Causis & Sedibus morborum Epist. 21. Art. 26.*

CCCXXVIII.

Pneumonica, sicut cæteræ inflammationes, resolutione, suppuratione aut gangræna terminari solet; sed habet præterea exitum sibi proprium, quem ante subindicavimus (§. CCLII.) cum nempe sanguis in pulmonum telam cellulosam effunditur, eoque transitu humorum per hoc viscus brevi interrupto, lethalis suffocatio producitur. Hic sane ejus familiaris maxime exitus esse videtur, quando in mortem desinit; siquidem omnium fere hominum hoc morbo extinxitorum, quæ incisa sunt, cadavera factam hujusmodi effusionem exhibuerunt.

CCCXXXIX.

C C C X X X I X.

Eadem sectiones docent, ab inflammatione pneumonica plerumque quandam humoris ex interna pleura exsudationem produci, quæ subinde tamquam crusta mollis & viscida appetet, saepè formam compactæ membranæ induit, omnem pleuræ superficiem operiens, præcipue illis in locis, ubi pulmones costali pleuræ aut mediastino accrescunt; atque illa crusta semper videtur hujus concretionis gluten facere.

Eandem exsudationem declarat etiam humor serosus, in thoracis cavo saepissime reperiri solitus. Nec raro similis exsudatio vel effusio in cavum Pericardii facta invenitur.

C C C X L.

Neque a vero alienum videtur, in bronchiorum quoque cavitates similem humoris effusionem quandoque fieri; quandoquidem in nonnullis corporibus, quæ intra paucissimos dies ex hoc morbo perierant, bronchia fluido seroso crassiusculo plena sunt visa. Atqui longe, ut opinor, credibilius est, humorem dicto modo effusum & sub continua respiratione, dissipatis subtilioribus particulis, inspissatum fuisse, quam verum pus tam brevi tempore in inflammata parte formatum.

C C C X L I.

Nec tamen improbabile est, hanc effusionem æque

que ac illam, quæ in thoracis & pericardii cava fit, ejusdem esse generis, quoad materiem, ac sollet sub aliis inflammationibus in telam cellulofam affectarum partium fieri, ibique in pus converti. Sed in thoracis & pericardii cavis humor non semper formam puris nanciscitur; quoniam crusta superficiem tegens impedit, quo minus particulæ tenuiores absorbeantur. At vero in bronchiis potest hic absorptionis defectus compensari exsiccantis aëris potestate; ideoque effusio ibi facta speciem magis purulentam præ se ferre debet. In multis pneumonicæ inflammationis casibus; ubi sputa sunt admodum copiosa, vix credere possumus, omnem materiem e muciferis bronchiorum folliculis excerni. Quin potius vero simile est, magnam ejus partem de effuso, quem memoravimus, ferofo humore esse; atque hinc intelligitur ratio; cur sputa adeo frequenter puris speciem habeant. Eademque forte caussa est purulentæ expectorationis & puriformis materiæ in bronchiis repertæ, quam clarissimus *de Haen* sæpenumero a se visam esse testatur, dum nulla in pulmonibus ulceratio existebat. Utique hæc interpretatio melius naturæ congruere videtur, quam clari hujus Viri hypothesis de pure intra sanguinem circulantem formato.

C C C X L I I.

Concludendi hujus argumenti caussa addimus: videri nobis effusionem in bronchia, cujus ante me-

neminimus (§. CCCXL.) , s^æpe simul cum cruo-
is effusione (§. CCCXXXVIII.) concurrere in
affocatione producenda ; quæ fatalem inflamma-
tioni pneumonice finem facit ; sed & solam seri-
ffusionem hunc effectum subinde habere ; atque
osum serum, majore copia expressum , potius quam
abilitas, quæ ad expectorationem faciunt , vires,
dam ominosam sputorum cessationem, quæ mor-
em præcedit , causari ; siquidem in multis casibus
appressa fuerunt sputa , ubi aliæ debilitatis nota-
on erant , & ubi post mortem , inciso cadavere ,
ronchia materiei liquidæ plena reperiebantur.
Quin immo verisimile est , quandoque talem
ffusionem sine inflammationis gravioris sympto-
matibus incidere ; aliis vero in casibus eandem
ymptomata inflammationis , quæ aderant , solvere
finire : qua quidem ratione interpretamur leta-
m exitum , quem hic morbus ex improviso in-
erdum sortitur. Hæc eadem effusio fortassis etiam
ulta peripneumoniae nothæ phænomena produ-
& explicat.

CCCXLIII.

Inflammatio pneumonica raro sic resolvitur , ut
ne aliqua evacuatione manifesta desinat. Hæmor-
ragia narum primis morbi diebus quandoque
un. finivit. Dicitur etiam sanguis e venis hæ-
orrhoidalibus effusus , item dejectio biliosa per
vum , nec non evacuatio per urinas sedimentum
opiosum deponentes , s^æpe felicem morbi exitum
pro-

procurasse. Hæ tamen crises raræ & insolitæ sunt.

Excretio omnium frequentissima & ad resolutionem promovendam, ut videtur, plurimum valens est excreatio materiæ spissæ, albæ vel subflavæ, sanguineis striis distinctæ, magna copia, sed tamen sine frequenti aut vehementer tussi, excretæ.

Sæpiissime etiam hujus morbi resolutionem comitatur & fortassis efficit sudor calidus, tenuis, copiosus, ex toto corpore manans, adferensque remissionem in pulsus frequentia, calorisque & ceterorum symptomatum febrilium mitigationem.

CCCXLIV.

Morbi prognosis ex ratione præcipuorum symptomatum (§. CCCXXVII.) petenda est.

Pyrexia vehemens semper est discriminis plena. Nihil tamen periculum certius denotat, quam respirandi difficultas. Hæc varios habet gradus, quos ordine proponam, a leviore ortus: æger vel in alterutro tantum latere decumbere potest, vel in neutro, sed supinus jacere debet; vel respirare nisi erecto corporis truncu nequit; vel etiam in hoc situ spiritum non sine magna difficultate dicit, monstratque turgescentem & rubentem vultum, sudores partiales circa caput & cervicem ac pulsus inæquabiles. His gradibus periculum morbi proportionale est.

Tussis crebra & vehemens, dolorem exasperans, semper morbi pertinacioris signum est.

Cum-

Cumque raro vel nunquam sine sputis morbum solvi credamus, hinc tussis sicca semper mali ominis est.

Ut expectoratio in §. CCCXLIII. descripta indicium præbet morbi ad resolutionem tendentis, sic excretio illis notis carens ancipitem morbi statum nuntiat. Interim signa a colore sputorum sumta plerumque fallacia sunt.

Dolor acutus inspirationem aëris valde interrumpens signum semper est morbi vehementis, nec tamen periculosioris, quam si dolor obtusus, sed difficultas spirandi admodum magna est.

Si dolores ab uno latere, quod solum obsederant, in alterum postea latus se spargunt, aut si priore relicto omnem vim suam in alterum transferunt: semper periculosus morbus est.

Delirium inflammationi pneumonicæ superveniens ominosum semper symptomata est.

CCCXLV.

Si morbus ad interitum fatalis est, moritur æger die uno vel altero primæ septimanæ, nec tamen ante tertium. Hic consuetus ordo est; & tamen in paucis quibusdam casibus mors serius obvenit.

Si morbus vehemens & tamen medicabilis est, resolutio pariter intra primam septimanam fit, sed ubi moderatior est, sœpe secunda demum septima resolutio perficitur.

Morbus plerumque remissionem quandam acci-

pit aliquo die inter tertium & septimum ; sed hæc remissio decipere frequenter potest ; siquidem æqua violentia & majore cum periculo subinde recrudescit malum.

Est ubi morbum secunda aut tertia die decentem statim excipit Erysipelas externæ alicujus partis ; quod si locum suum tuetur , inflammatio pneumonica non redit.

Ultra diem decimum quartum morbus si protrahitur ; in suppurationem plerumque desinit.

C C C X L V I .

Exitum morbi in suppurationem postea plenius contemplabimur , quando de Phthisi agemus.

Terminatio in gangrenam multo est infrequentior , quam vulgo creditur ; ubi vero incidit , plerumque conjuncta est cum effusione , in §. CCCXXXVIII. exposita , & ab hac ægre discernitur per symptomata .

C C C X L V I I .

Curatio pneumonicae inflammationis juxta generalem medendi methodum (§. CCLIX.) institui debet ; verum partis affectæ summa ad vitam necessitas , & magnum , cui objicitur , periculum postulant remediorum plenissimam & celerem administrationem .

C C C X L V I I I .

Remedium , quo maxime confidere debemus , est sanguinis detractio e venis bracchiorum , quæ qui-

quidem omnium optime in bracchio lateris affecti instituitur, sed tamen etiam in altero fieri potest, si hoc ægro vel Chirурgo convenientius sit. Quantitas mittendi sanguinis ex morbi vehementia, & ægri viribus æstimanda est; & in universum tanta esse debet, quantum vires permittunt. Remissio doloris & crescens spirandi libertas, dum fluit e vena sanguis, mensuram hac vice detrahendam definire possunt; verum, si hæc symptomatum levatio haud percipiatur, conuenit sanguinem mitti usque dum incipientis syncopes signa appareant: Rarissime una sanguinis missio; utut larga, morbum solvit; & quanquam dolor spirandique difficultas primæ venæ sectionis beneficio multum imminui queant, hæc tamen symptomata plerumque, brevi interposito intervallo, pari violentia redeunt: Quo in casu missio sanguinis repeti debet, eodem etiam die, atque fere ad eandem, qua prius, quantitatem.

Quandoque secunda venæ sectio liberalior esse, quam prima, potest. Nonnullorum hominum ea est conditio, ut vel parcam sanguinis detractionem sine animi deliquio ferre nequeant. Hæc obstat, quominus sub prima venæ sectione tantum sanguinis, quantum morbi vehementia requirit, mitti possit. Cum autem usus docuerit, tales homines melius repeatas V. S. quam primam quandoque ferre, hinc licet nobis posteriores sanguinis missiones facere liberaliores, & ea omnino quantitate, quam morbi symptomata dictant.

CCCXLIX.

Pro ratione symptomatum oportet repeti venæ sectiones; quæ quidem majorem exferent efficaciam primo morbi triduo, quam sequentibus diebus; nec tamen omitti debent, etiamsi dies quartus jam effluxerit. Si Medicus non ante fuerit advo-
catus, aut si sanguis prioribus diebus non satis li-
beraliter missus sit, immo etiamsi factæ jam venæ sectiones remissionem aliquam produixerint: tamen,
quoties graviora symptomata redeunt, quocun-
que morbi die, oportet eas repeti, maxime intra
duas priores septimanas, quin etiam serius, si sig-
na morbi in suppurationem tendentis manifesta
non sint, vel si morbus, postquam solvi visus est,
recrudescit.

CCCL.

Quantitas sanguinis, quæ in hoc morbo debeat aut tuto possit detrahi, non potest ad certam & perpetuam mensuram definiri. Hæc enim admo-
dum varia esse debet pro varia morbi & ægri con-
ditione. In homine adulto modici roboris una
sanguinis libra (*averdupois*) definit plenam detra-
ctionis mensuram. Si ultra viginti uncias educitur,
venæ sectio larga est; sin minus, quam duodecim,
exigua dicitur. Pondus quatuor vel quinque li-
brarum, spatio duorum aut trium dierum detra-
ctum, constituit fere maximam, quam ægri tales
impune ferunt, sanguinis jacturam. Verum tamen
ultra hanc proportionem licet quandoque mittere, si
nem-

nempe majora inter V. S. intervalla ponuntur, & totum, quo factæ sunt, tempus longius est.

C C C L I.

Postquam sanguinis multum e bracchio jami missum est, si dubium sit, an ejus adhuc amplius impune possit detrahi, licebit utique nonnihil insuper cucurbitulis & scarificatione auferre. Hæc methodus tum maxime opportuna est, cum potius dolor permanens vel identidem recurrens, quam spirandi difficultas, urget & terret; quo in casu convenit cutim incidi & cucurbitulas defigi in loco parti laboranti, quoad commode fieri potest, proximo.

C C C L I I.

Sputa interdum primis hujus morbi diebus jam prodire incipiunt. Nihilominus, si urgentia durant symptomata, commendatis venæ sectionibus non est supersedendum; neque illi sputorum excretioni soli inter initia morbi fidendum. Et enim non, nisi in provectione morbi stadio, postquam symptomata multum remiserunt, plena solutio a copiosa & facilis exscrectione exspectari potest.

C C C L I I I.

Primis morbi diebus sputorum excretio per sanguinis missionem nequaquam inhiberi, sed e contrario frequenter promoveri nobis videtur. Cum vero provectionis morbus est, & ægri vires partim

evacuationibus prægressis partim duratione morbi
jam exhaustæ sunt, tum omnis sanguinis missio
supprimere exscreationem videtur. Ac ne tunc qui-
dem hanc suppressionem ideo facit, quod vires
ad expectorationem necessarias labefactet, sed quo-
niam effusione serosæ in bronchia (§. CCCXLII.)
favet, & sic sputa prohibet.

C C C L I V.

Interea, dum venæ sectiones dicto modo fiunt,
necessæ est, omnes pariter regiminis antiphlogistici
partes (§. XXIV.) administrari, imprimitisque
caveri, ne calor undecunque auctus irritet mor-
bum. Quem ad finem expedit, ægrum, quam-
diu facile fert, extra lectum tenere; si amplius
ferre nequeat, decubentem levissime tegere. Aë-
ris in cubiculo temperatura gradum thermometri
Fahrenheitiani sexagesimum non debet superare;
an unquam frigidior sine noxa esse possit, am-
bigo.

C C C L V.

Potus blandus ac diluens, moderate calens,
utique numquam frigidus, liberaliter, sed singulis
vicibus parca manu, propinari debet. Quem etiam
acidis vegetabilibus impertire licet. Neque abs
re fuerit, cum eo nitrum vel alium salem neutrum
exhibere; sic tamen, ut salia seorsim, non in potu
soluta, dentur. Evidem acida perinde ac nitrum dicuntur tus-
sim

sim excitare; & certum est, in nonnullis corporibus hoc facere. Verum usus nos docuit, in paucis tantum & peculiariter constitutis hominibus hanc molestiam producere; de cætero vim eorum in cienda tussi adeo magnam vexantemve non esse, ut ab eorum usu, multis titulis commendabili, nos absterrere debeat.

C C C L V I.

Nonnulli practici dubitarunt, an purgantibus uti in hoc morbo impune liceat. Et sane diarrhoea spontanea, initio morbi incidens, rarissime utilis est. Verum tamen moderatus catharticorum refrigerantium usus plerumque nobis tutus ac salutaris videtur; adhæc alvum crebris mollientibus clysmatibus apertam servare, semper prodest, experientia teste.

C C C L V I I.

Vomitum in hoc morbo datis emeticis excitare, periculosum esse arbitramur; sed tamen nauseam minutis emeticorum dosibus cieri, utile comprehendimus, quin progressu morbi ad excretionem sputorum promovendam nihil aptius esse experimur.

C C C L V I I I.

Fomenta & cataplasmata ad partem dolentem adhibita commendari solent, omninoque utilia esse possunt; sed incommoda sæpe eorum est ap-

plicatio, quam idcirco nos plane omittimus, ut locum faciat efficaciori vesicantium actioni.

Mature scilicet & primo morbi stadio vesicatorium ad partem laboranti proximam admoveri convenit. Quum autem præsente ac durante ejus irritatione venæ sectio minus efficax esse soleat, ideo non prius imponi vesicatorium debet, quam sanguis semel detractus sit. Si morbus mitior est, vesicatorium protinus post primam V. S. adhiberi potest; sin vero vehementius malum prænuntiat necessitatem secundæ detractionis brevi post priorem faciendæ, tunc convenit exspectare, & hanc prius instituere, quam vesicatorium adhibere, cuius actio quamdiu durat, ab ulteriore sanguinis missione abstinendum est. Nec raro ad superandum malum repetita vesicatione opus erit; quo in casu semper ad aliquam thoracis partem applicari emplastrum convenit; siquidem locis, a parte affecta dissitis, adhibitum exiguum vim habet. Partes jam exulceratae, etsi apertæ servantur, atque sic *perpetuum*, ut ajunt, vesicatorium adhibetur, tamen multo minus, quam nova vesicarum procuratio, præstant.

C C C L I X.

Cum hic morbus adeo frequenter sputis solvi soleat, varia his promovendis apta remedia passim proponuntur; quorum tamen nullum valde efficax videtur; quædam vero, cum acria ac stimulantia sint, tuta esse nequeunt.

Gum-

Gummata adhiberi solita nimis calefacere videntur; *Scillitica* minus quidem calefaciunt, sed nec magnam efficaciam habent, & propter naufream, quam nunquam non movent, saepe incommoda sunt.

Alcali volatile prodesse potest, ubi sputa expediri oportet, sed ad posteriora morbi tempora reservandum est.

Mucilaginosa & oleosa demulcentia conducere hactenus videntur, ut muci temperent acrimoniā, quae crebro tussim provocat, impeditque, quominus stagnare ac spissari mucus, atque ita blandior fieri queat.

Aquæ calidæ vapores, aceto imprægnati, & per os in pulmones admitti, ad promovendam sputorum excretionem multum saepe contulerunt.

Omnium vero medicamentorum efficacissima ad hunc finem sunt *antimonialia*, si ea dentur proportione, ut solam nauseam moveant (§. CCCLVII.).

Neque tamen *Kermes minerale* prærogativam nobis visum est habere præ tartaro emetico, aut vino antimoniali; quin potius difficiliorem usum, ob dosim longe minus certam.

C C C L X.

Quamvis inflammatio pneumonica saepe spontaneis sudoribus judicatur, hi tamen arte excitari non debent, nisi summa cautione adhibita. Nos saltem huc usque hanc methodum non ita utilem nec adeo tutam, ac scriptores nonnulli

prædicarunt, deprehendimus. Evidem post symptomatum quandam remissionem si sudor bonæ notæ sponte erumpit, hunc leniter promovere licet; sed tamen sine caloris notabili augmento & sine remedii stimulantibus. Sin vero sudor partialis tantum & viscidus sit, & magna spirandi difficultas remaneat, non sine manifesto periculo incitari potest.

CCCLXI.

De usu Opii in pneumonicis inflammationibus magna inter Medicos controversia fuit. Mihi quidem inter morbi initia, antequam venæ sectio & vesicatoria dolorem ac spirandi difficultatem aliquantum levarunt, opiate videntur insigniter nocere, spiritus difficultatem & alia inflammationis symptomata augendo. Verum in provectione morbi stadio, ubi respiratio minus, quam fuit, impedita est, jamque potissimum molestat & opem poscit tussis, tanquam præcipua continuati deficientis somni cauſa, tunc omnino opiate magno cum fructu & tuto usurpari possunt. Sputorum enim interruptio, cui videntur occasionem dare, ad breve duntaxat tempus est. Immo potius promovere expectorationem eo videntur, quod materiem, quam frequens tussis sensim & particulatim dissipabat, stagnare faciunt, morantemque ea impertiunt forma, ob quam a Medicis *cocca* appellari solet.

CCCLXII.

CCC L X I I .

Hoc loco posset historia *Carditidis & Pericarditidis*, quæ inflammations cordis & pericardii sunt, intercalari. Sed hi morbi peculiarem descriptionem requirere vix videntur. Inflammatio acuta pericardii semper fere pars est ejusdem affectionis pleuriticae, de qua diximus, nec semper propriis symptomatis distinguitur; & si suis signis prodat, methodum tamen a prioribus diversam haud exigit. Idem de acuta ipsius cordis inflammatione affirmari potest; cujus si quæ signa certiora, velut palpitatio vel syncope, apparent, nihil aliud nobis injungunt, quam majorem diligentiam in adhibendis, quæ inflammationi pneumonicae medentur, remediis.

Evidem cadaverum sectiones, cum quandoque cor & pericardium erosa, exulcerata, & abscessibus vitiata exhibeant, evidenter docent, partes has fuisse antea inflammatione affectas. Cumque ante mortem nulla inflammationis pneumonicae signa fuerint, probabiliter dici posset, illas cordis & pericardii inflammations tamquam primarios morbos & a pneumonica distinctos considerari debere. Et hæc rationis conclusio justa est: sed tamen accuratior talium casuum historia nos docet, inflammationem chronicæ fuisse generis, quæ suis semet symptomatibus vix prodiderit, aut si forte signa, quæ cordis affectionem denotant, adfuerint, hæc ejus esse generis, quæ ab aliis

aliis causis perinde atque ab inflammatione frequenter ortum duxerint. Nulla igitur ratio est, quæ nos moveat, ut inflammationem cordis & pericardii sigillatim exponamus.

C A P U T . V I I .

De Gastrite, seu Inflammatione Stomachi.

C C C L X I I I .

Inter phlegmasias systematis abdominalis in Nomenclatura nostra recensuimus etiam *Peritonitidem*; quo nomine non tantum inflammationes peritonei, quatenus cavum abdominis investit, sed etiam illas complectimur, quæ hujus membranæ propagines per omentum ac mesenterium extensas occupant. Neque tamen eas hoc loco latius describere nobis placet, partim quoniam signa, quibus ab aliis semper discernantur, nondum cognita sunt, partim quia hi morbi, si forte præsentes agnoscantur, non alia postulant remedia, quam quæ inflammationi in universum conveniunt. Itaque ad illas progredimur phlegmasias, quæ viscera singularibus functionibus destinata afficiunt, ideoque sibi propria habent symptomata, atque peculiares in medendi methodo cautelas requirunt. Ab inflammatione ventriculi initium sumimus.

C C C L X I V .

Inflammatio ventriculi duplex est, *phlegmonica* & *erysipelatodes*. Prior sedem suam vel in tunica

ven-

ventriculi nervosa; vel in peritoneo stomachum ambiente habet. Posterior in tunica villosa atque in textu cellulari, qui illam contingit, nunquam non sita est.

CCCXV.

Phlegmonica stomachi inflammatio, sive morbus, qui *Gastritidis* nomine venire solet, cognoscitur dolore acuto ad aliquam regionis epigastriæ partem, quem comitantur pyrexia, crebri vomitus, præcipue post assumptas res quasvis, & frequenter etiam singultus. Pulsus plerumque parvi & duri sunt; & major virium defectus in omnibus functionibus cernitur, quam sub alia quaunque fere inflammatione.

CCCXVI.

Hæc inflammatio varias habet causas: velut contusionem externam; acria multiplicis generis assumpta; saepe potum valde frigidum, corpore æstuante ingestum; subinde nimiam stomachi distensionem ex larga cibi ægre digerendi quantitate. Et hæc quidem causæ externæ sunt; verum idem quoque morbus ab internis causis non satis bene perspectis quandoque proficiscitur. Potest sane ex partium vicinarum inflammatione cum stomacho communicata nasci, atque tunc symptomatica affectio haberri debet. Potest idem produci a variis acritatibus, sive intra ipsum ventriculum genitis, sive ex aliis partibus in eum compulsis. Sed

præ-

præter has causas, quæ ventriculo ipsi directe applicantur, sunt & aliæ, quæ dissitis in locis sedem habent, & ventriculum non nisi per sympathiam afficiunt. Tales nobis videntur in illis febribus putridis & pyrexii exanthematicis fuisse, ex quibus mortua corpora incisa & inspecta ventriculum inflammatione correptum exhibuerunt.

C C C L X V I I.

Magna ventriculi sensilitas, ejusque cum universitate corporis consensus, non sinunt nos mirari, cur inflammatio hujus organi, a quacunque demum causa inducta fuerit, funestum eventum sæpe habeat. Magna imprimis ac subita, quam facit, debilitas mortem ex improviso inferre potest, sic ut inflammatio consueta stadia haud percurrat.

Quodsi satis diu infistat, ut cæterarum phlegmasiarum ordinem & cursum servare possit, tunc utique terminabitur resolutione, vel gangræna, vel suppuratione. Scirri vero, qui in stomacho sæpe post mortem cernuntur, rarius talis inflammationis sequelæ videntur esse.

C C C L X V I I I.

Spem resolutionis fovere nobis licet, si morbus ex causa non admodum violenta natus est; si moderata sunt symptomata; denique si hæc pedentim remittuntur intra primam, vel saltem intra secundam morbi hebdomadem.

CCCLXIX.

C C C L X I X.

Metum gangrenæ facit vehementia symptomatum, remediis aptis inter morbi initia adhibitis nequaquam cedentium. Eandem vero jamjam incipit declarat subita doloris remissio, si nempe pulsus frequens manet, & sensim debilior fit, aliis quoque signis, quæ totius corporis vim magis magisque labefactari declarant, accendentibus.

C C C L X X.

In suppurationem abire malum noscitur, si symptomata, sed moderatiora, ultra unam duasve septimanas durant, & magna doloris remissio est, sed ponderis sensus & anxietas manent.

Formato abscessu pulsuum frequentia ad tempus minuitur, brevi post iterum crescit intercurrentibus crebris horripilationibus, jamque evidentes post meridiem ac vespertinis horis exacerbationes contingunt, quas sudores nocturni & alia febris hecticæ symptomata sequuntur, quæ tandem lethifera sunt, nisirupto intra cavum ventriculi abscessu pus evomatur, & ulcus cito sanetur.

C C C L X X I.

Cadaverum sectiones docent, stomachum sæpiissime inflammatum fuisse, ubi characteristica hujus mali symptomata non apparuerant; ideoque perpetua curationis præcepta exhibere non possumus.

CCCLXXII.

CCCLXXII.

In phlegmonica stomachi inflammatione, qualem descripsimus (§. CCCLXV.), sola licet nobis resolutionem ac curationem tentare per liberales & repetitas sanguinis missiones, mature factas; neque ab his nos deterrere pulsus parvus debet; quippe qui post venæ sectionem plerumque plenior & mollior evadit. Detracto autem sanguine vesicatorium ad regionem ventriculi admoveri, atque etiam fomentis totum abdomen muniri, alvum denique crebris enematibus molliri & laxari convenit.

CCCLXXIII.

Irritabilitas stomachi hoc malo laborantis medicamenta vix ulla admittit deglutienda, quare si quæ forsan necessaria videantur, per anum injicienda sunt. Convenit tamen potum periclitari, sed mitissimus sit & parcissima manu per vices detur, necesse est.

CCCLXXIV.

Opiata quovis modo exhibita prioribus morbi diebus vehementer nocent; sed post remissam mali violentiam, si dolor & vomitus per intervalla duntaxat recurrent & exacerbantur, clysmatum forma opiatis caute uti licet, quippe quæ interduum utiliter adhibita fuerunt.

CCCLXXV.

C C C L X X V.

Morbo in gangrænam tendenti remediis modo propositis obviam eundum est, sed facta jam gangræna immedicabilis est.

C C C L X X V I.

Suppuratio si minatur, iisdem quoque remediis, sed statim inter principia morbi adhibitis, præoccupanda est. Post certam periodum nullis remediis cohiberi potest; & ubi jam incopta est, naturæ relinqui debet. Neque aliud in artis potestate est, quam irritamenta quævis removere & fugere.

C C C L X X V I I.

Inflammationes ventriculi erysipelatodes frequenter quam phlegmonicæ incidunt. Utique inspecta cadavera declarant, stomachum saepe inflammatione affectum fuisse, quam nec dolor neque pyrexia ante mortem indicaverant. Tales vero inflammations ex erysipelatum genere fuisse arbitramur. Ejusdem ingenii inflammatio metuenda etiam est ab acritate qualibet speciatim stomacho applicata; & profecto hinc saepius produceretur, nisi superficies interna hujus organi secundum natum probe munita esset copioso muco, ex folliculis innumerabilibus, qui villosæ tunicæ subjacent, identidem exsudante. Sed tamen per varios casus vel muci excretio inhibetur, vel exsudans humor muci spissitudinem non habet, ideoque defendendis

M

ner-

nervulis impar est; atque tunc materia quælibet acris erysipelatosam stomachi affectionem producere valet.

C C C L X X V I I I.

Ex iis, quæ diximus, apertum est, inflammatio-
nem stomachi erysipelatodem debere frequenter
incidere, sed non semper facile agnosci; siqui-
dem interdum sine pyrexia, dolore, aut vomitu
obtinet.

C C C L X X I X.

Nonnumquam tamen præsens agnosci potest.
Nam véntriculi affectio subinde per œsophagum
se spargens pharyngem attingit, in eoque pari-
ter atque in oris interioribus conspicua est. Ubi
igitur inflammatio erysipelatosa os atque fauces
obsidet, simulque insueta stomachi sensilitas &
crebri quoque vomitus adsunt, vix dubium su-
peresse potest, quin eadem inflammatio, quæ in
faucibus appareret, etiam ventriculum occupaverit.
Atque tum etiam, cum nulla in faucibus appareret,
tamen si dolor aliquis ad stomachum percipitur, si
appetitus prostratus est, si anxietas, vomitus creber,
insolita stomachi ad acritatum applicationem sen-
silitas, denique sitis quædam & præternaturalis
pulsuum frequentia adsunt, jure inflammationem
ventriculi suspicamur; omninoque vidimus hæc
symptomata elapso aliquo tempore causam suam
clarius prodidisse, dum inflammatio in faucibus
vel oris interioribus tandem apparuit.

In-

Inflammatio erysipelatosa saepe ab uno in alium ejusdem superficie locum serpere solet; quod ubi fit, locum primo occupatum deserit. Et sane observavimus tales inflammationes sensim & particulatim totum intestinalem tubum perambulasse, sic ut modo profundius sita diarrhaea, modo ad stomachum delata vomitum induceret, & diarrhoea quiescente vomitus, hoc cessante diarrhoea vicissim rediret.

C C C L X X X.

Ventriculi inflammatio erysipelatosa si praesens agnoscitur, vario modo curari debet pro causarum ac symptomatum varietate.

Si a rebus acribus ore assumptis orta est, easque in stomacho adhuc residere merito conjicimus, oportet statim elui ventriculum, ingerendo magnam copiam calidi blandique liquidi, & vomitum excitando. Eodem tempore, si acritatis indoles ejusque certus corrector cognita sint, hoc protinus utendum est. Sin vero tale proprium antidotum lateat, quedam ex demulcentium genere administranda sunt.

C C C L X X I.

Hæc tamen adminicula potius antevertendæ inflammationi, quam eidem iam praesenti sanandæ idonea sunt. Ubi jam adesse merito creditur, si comites habeat sensum caloris, dolorem atque

M 2 py-

pyrexiam, tunc pro vario horum symptomatum gradu remedia in §. CCCLXX. & seqq. proposita cum judicio adhiberi debent.

C C C L X X X I I.

Quodsi ab internis causis inflammatio stomachi erysipelatosa ortum duxerit, & dolore atque pyrexia stipetur, neque ægri aliunde jam debilitati fuerint, tunc sanguinis aliqua detractio locum habet. Quum vero hic affectus in putridis morbis atque in hominibus a febre convalescentibus saepenumero contingat, a venæ sectione his in casibus plane abstinentur est, & nihil agendum præter hoc, ut irritamenta evitentur, & tanta copia acidorum rerumque acescentium, quantam stomachus ferre queat, in eum ingeratur. Tales interdum sunt corporis conditiones, dum morbus hic nascitur, ut Cortex Peruvianus atque amara indicari viderentur; sed erysipelatosus ventriculi status haec medicamenta saepè non admittit.

C A P U T VIII.

De Enteritide, seu Intestinorum Inflammatione.

C C C L X X X I I I.

Inflammatio intestinorum perinde ac ventriculi vel phlegmonica vel erysipelatosa esse solet. Circa posteriorem nihil habeo illis addendum, quæ novissime proposui; proinde de sola phlegmonica nunc agam.

CCCLXXXIV.

C C C L X X X I V.

Hæc inflammatio præsens cognoscitur ex dolore fixo intra abdomen, quem pyrexia, alvus adstricta & vomitus comitantur. Scriptores practici dolorem in variis abdominis partibus hærere notant pro diversa inflammationis sede; quod quidem interdum obtinet; sed saepius tamen diffusus per totum abdomen dolor est, & circa umbilicum maxime percipitur.

C C C L X X X V.

Enteritis & gastritis a similibus causis oriuntur; prior tamen facilius quam posterior a frigore, ad extremas inferioris corporis partes vel ipsi abomini applicato, inducitur. Sed enteritis habet quoque causas sibi proprias, velut dum colicæ spasmodicæ, herniæ incarceratæ, & volvulo supervenit.

C C C L X X X V I.

Inflammatio intestinorum similes etiam exitus habet ac gastritis; quorum quidem prognosis in utroque morbo ab iisdem symptomatis (§§. CCCLXVIII. CCCLXIX. CCCLXX.) petenda est.

C C C L X X X V I I.

Curatio enteritidis universim eadem est atque gastritidis (§. CCCLXXII. & seqq.); verum sub enteritide major plerumque opportunitas est liquida, acida, acescentia & alia medicamina re-

frigerantia, quin etiam laxantia administrandi. Et tamen cavendum est, cum vomitus perquam frequens in hoc morbo sit, ne stomachus vel quantitate, vel qualitate alicujus rei ingestæ magis irritetur.

C C C L X X X V I I I.

Enteritidis titulo solent scriptores practici plerumque etiam de illis remediis agere, quæ colicæ & hujus vehementiori gradui ideo conveniunt. Et verum quidem est, quod enteritis & colica non raro conjunctæ existant. Nos tamen tenemus, esse hos morbos inter se differentes, ac seorsim saepe occurrere, ideoque remedia diversa admittere & postulare. Quare de remediis anti-colicis dicere differemus, donec ad hujus mali historiam pervenerimus.

C C C L X X X I X.

Quæcunque ad suppurationem aut gangrænam enteritidi supervenientes pertinent, ex iis, quæ circa varios gastritidis exitus a nobis proposita sunt, satis intelligi possunt.

C A P U T I X.

De Hepatitiæ, seu Inflammatione Hepatis.

C C C X C.

Inflammatio hepatis duplex esse videtur; *acuta* & *chronica*.

CCCXCI.

C C C X C I.

Acutam comitantur dolor pungens, vehemens pyrexia, pulsus frequens, fortis ac durus, denique urina intense colorata.

C C C X C I I.

Hepatitis chronica sœpissime horum symptomatum (§. CCCXCI.) nulla prodit; nec suam existentiam nobis declarat, nisi per insigniores abscessus jecoris, quos ubi reperimus, tamquam antegressæ inflammationis effecta consideramus. Cum ergo hæc inflammatio chronica signis evidenter cognosci nequeat, ideoque certam medendi methodum haud admittat, hoc loco eam præteribimus, & tantum illa, quæ acutam hepatitis spectant, exsequemur.

C C C X C I I I.

Hepatitis acuta cognoscitur dolore magis minusve acuto ad hypochondrium dextrum, qui partis pressu augetur. Hic dolor sœpissime latus sic afficit, ut pleuriticum simulet; & crebro pariter ac pleuriticus sub inspiratione crescit. Est etiam mali hujus quandoque comes tussis, plerumque sicca, non tamen numquam humida. Dum dolor pleuritico ita similis est, decumbere æger, nisi in latus affectum, non facile potest. In omni hepatitis acuta dolor multoties ad claviculam, & ad summum usque humernm extenditur. Sin-

gultus etiam morbi quandoque comes est, quandoque vomitus. Multi scriptores practici icterum sive flavum cutis oculorumque colorem, tamquam perpetuum hepatitidis symptoma, memorarunt; sed experientia docuit, morbum sæpe absque ullo hujus symptomatis vestigio existere.

C C C X C I V.

Causæ remotæ hepatitidis haud semper evidentes sunt; & inter eas, quæ assignari solent, complures infirmo nituntur fundamento. Dignum autem est animadversione, quod sub inflammacionibus pneumonicis sæpe jecoris moles admodum aucta appareat; omninoque illis quandoque hepatitis juncta sit.

C C C X C V.

Creditum est, hepatitidem in extremis ramulis vel arteriæ hepaticæ, vel venæ portarum sedem habere; sed posterior positio non tantum evidētia, sed omni probabilitate destituitur.

C C C X C V I.

Vero videtur simile, hepatitam acutam semper esse affectum externæ jecoris membranæ; e contrario chronicam esse parenchymatis inflammationem. Acuta sedem habet vel ad convexam vel ad concavam hepatis superficiem. Si convexam tenet, dolor magis pungens & singultus frequentior est, respiratio etiam vehementius læditur; si concavam,

vam, dolor est levior, sed vomitus excitantur ab inflammatione cum stomacho plerumque communicata. Concavæ partis inflammatio facile serpit ad cystidem fellis, adque ductus biliarios. Et hoc in casu forte solo hepatitidi idiopathicæ icterus jungitur.

CCCXCVII.

Hepatitis, sicuti aliæ inflammationes, varios habere exitus potest: in resolutionem, in suppurationem, vel in gangrænam. Proclivitas, quam in singulis casibus habet ad unam alteramve ex his terminationibus, æstimari debet secundum regulas ante a nobis traditas (§§. CCXLIV. CCXLV. CCL. CCLI. CCCLXVIII. CCCLXIX. CCCLXX.)

CCCXCVIII.

Resolutio hepatitidis sæpe evacuationes varii generis vel sequitur vel comites habet. Interdum hæmorrhagia narium, quandoque fluxus hæmorrhoidum morbi solutionem adferunt. Aliquando diarrhoea biliosa ad eundem finem facit. Adhæc resolutio hepatitidis, ut ceterarum phlegmasiarum, solet sudoribus & urinis copiosum sedimentum deponentibus perfici.

An potest hoc malum etiam expectoratione seu sputis solvi? Videtur quandoque sanatum esse erysipelate ad externam aliquam partem orto.

CCCXCI.

Si morbus in suppurationem desit, collectum pus per meatus biliarios eliminari potest. Aut si pars suppurata vicinis non undique & firmiter adhæreat, idem pus in cavum abdominis potest effundi. Sin vero sub primo inflammationis studio pars affecta jecinoris cum vicinis quibusdam partibus arcte concreverit, materies post suppurationem factam pro diversa abscessus positione varias vias tenere potest. In convexa hepatis parte si locatus est, & peritonæo, integumenta communia vestienti, accrevit abscessus, extrorsum verti, & ruptis tegumentis materiem extra corpus effundere poterit. Idem, si diaphragmati adglutinatus fuerit, hoc exeso in pectoris cavum se exonerabit: unde materies a pulmonibus suscepta tussi ac sputis excerni potest. Sin vero ad concavam jecinoris partem situs fit, tunc pus pro ratione adhæsionis, vel in stomachum, vel in intestina pervenire poterit, & in intestina quidem vel recta via, vel trans ductus biliarios.

CCCC.

Morbi hujus prognosis fundatur partim generali inflammationum cognitione, partim peculiaribus hepatis conditionibus, ac speciali inflammationis in hoc viscere existentis statu.

CCCCI.

C C C C I.

Curatio hujus mali juxta generalem phlegmatisis medendi methodum institui debet; adeoque postulat: sanguinis detractionem, magis minusve copiosam pro doloris ac febris mensura; vesicantium applicationem; porro fomentationem tam partium externarum more consueto, quam internarum crebris emollientibus clysmatibus; insuper frequentem alvi subductionem, lenioribus laxantibus faciendam; denique medicamenta diluentia & refrigerantia.

C C C C I I.

Si facta suppuratione abscessus extrorsum vergit seque prodit, oportet hunc aperiri, pus evacuari, & ulcus sanari secundum communia promundandis curandisque apostematibus atque ulceribus præcepta.

C C C C I I I.

Hoc loco *splenitis* sive inflammatio lienis considerari posset; sed nobis haud necessarium videtur, quia raro admodum occurrit. Si quando incidat, ex charaçtere, in Nosologia nostra proposito, facile præsens agnosceretur. Ejus vero varii exitus & curatio, quam requirit, ex illis intelliguntur, quæ de inflammatione ceterorum viscerum abdominalium ante jam tradidimus.

C A-

C A P U T X.

De Nephritide, seu Inflammatione Renum.

C C C C I V.

Hunc morbum, sicut alias inflammations internas, semper comitatur pyrexia, imprimis vero declarat dolor plerumque obtusus, nonnunquam punctorius ad regionem affecti renis; qui quidem moto corporis trunco non adeo increscit, ac dolor rheumaticus eamdem plagam occupans. Idem dolor nephriticus saepe eo distingui potest, quod juxta tractum ureteris excurrat, nec raro retractionem testis ac stuporem artus in latere affecto comites habeat; tametsi haec symptomata ut plurimum illam inflammationem sequuntur, quæ a calculo in rene vel in uretere producitur. Adhæc nephritis tantum non semper vomitu frequenti, saepe etiam alvo adstricta & dolore colico stipatur. Urina ut plurimum sanæ absimilis est; plerumque colore obscure rubrum habet, & frequenter, sed parva identidem copia, excernitur; si morbus vehementior est, interdum excolor appetet.

C C C C V.

Remotæ nephritidis causæ possunt variæ esse: velut contusio externa; equitatio vehemens aut diurna; validi musculorum dorsi, qui renibus incumbunt, nixus; acritates variæ ex humorum circulo ad renes depulsæ; aliæ forsitan causæ internæ,

ternæ, quæ nondum satis sunt perspectæ. Omnia tamen frequentissima est calculosa materies, tubulos uriniferos obstruens, vel lapilli intra renum pelvim geniti, & vel ibi adhuc hærentes, vel in ureterem delapsi.

C C C C V I.

Varia hujus morbi eventa ex illis, quæ circa alias phlegmasias dicta sunt, perspiciuntur.

C C C C V I I.

Qui curationem nephritidis litteris mandarunt, horum plerique *calculi* quoque *renalis* curandi methodum simul tradidere. Hic vero, quamvis nephritidem saepe inducere queat, tamen distinctus omnino morbus haberi debet, cuius medicationem suo loco deinceps proponemus. Nunc igitur solius nephritidis veræ seu idiopathicæ curationem exsequemur.

C C C C V I I I.

Hujus sanatio generali nititur methodo medendi, requirens sanguinis missionem, fomentationes externas, crebra emollientia clysmata, cathartica antiphlogistica, atque liberalem blandorum ac demulcentium liquidorum usum. Vesicatoria vix locum habere possunt; utique magnam circumspectionem postulant, ut ne cantharidum notabilis absorptio fiat.

CCCCIX.

CCCCIX.

Cystitis sive inflammatio vesiculæ selleæ raro morbus est primarius, ideoque h̄ic loci prætereundus. Medendi ratio, in quantum explanatione opus habet, ex illis, quæ jam dicta sunt, facile intelligitur.

CCCCX.

Ex viscerum inflammationibus una adhuc superest *inflammatio uteri*; sed hujus descriptionem, utpote a morbis gravidarum & puerarum non separabilem, hoc loco etiam omittimus.

C A P U T XI.

De Rheumatismo.

CCCCXI.

Hujus morbi duæ sunt species; una *Rheumatismi acuti*, altera *chronici* nomine venit.

CCCCXII.

Rheumatismus acutus ad locum, quem nunc tractamus, præcipue pertinet; siquidem ex ejus causis, symptomatibus, ac methodo medendi manifestum est, speciem phlegmasiæ vel inflammationis esse.

CCCCXIII.

Hic morbus frequens sub cœlo frigido, rarer in calidis climatis est. Vere & autumno præcipue

cipue grassatur, infrequentior hyeme, quamdiu frigus est constans, rarissimus inter aestivos calores. Et tamen nulla non tempestate incidere potest, qua frequentes ac subitae caloris & frigoris vices sunt.

C C C C X I V.

Rheumatismus acutus ut plurimum a frigore producitur, & quidem triplici modo: primum si corpori, ultra mensuram naturalem quacunque de causa excalefacto, frigus applicatur; dein si frigus uni corporis parti admovetur, dum cæteræ manent calidæ; denique si actio frigoris in corpus diu continuatur, veluti dum vestes madidæ aut humefactæ corporis partem tegunt.

C C C C X V.

Et hæ quidem causæ cujuscunque ætatis homines afficere valent; sed tamen rheumatismus valde juvenes aut senescentes raro adoritur, utpote inter pubertatem & trigesimum quintum ætatis annum maxime infestans.

C C C C X V I.

Eadem porro causæ (§. CCCCXIV.) omnium quoque constitutionum homines afficere possunt; attamen eos potissimum male habent, qui temperamento sunt sanguineo.

CCCCXVII.

Signa morbi diagnostica sunt imprimis dolores, qui articulos obsident; & quidem solos ut plurimum articulos, sed subinde tamen etiam musculares partes. Sæpiissime dolores secundum directionem muscularum ab una ad aliam juncturam migrant, & semper exacerbantur, dum musculi ad juncturam vel juncuras affectas pertinentes agunt.

CCCCXVIII.

Articuli majores frequentissime afficiuntur; velut coxae & genua in artubus inferioribus, humeri & cubiti in superioribus. Sæpe etiam tali atque carpi corripiuntur. Sed minores articuli, velut in manuum aut pedum digitis, rarius pati solent.

CCCCXIX.

Hic morbus licet nonnumquam unam tantum corporis partem teneat, sæpiissime tamen plures exercet; atque tunc a frigido orditur stadio, quod cetera pyrexiae symptomata, imprimisque pulsus frequens, plenus & durus, continuo sequuntur. Interdum febris jam ante doloris accessionem existit; sæpius tamen dolores in singularibus quibusdam partibus ante percipiuntur quam pyrexiae symptomata prodeunt.

CCCCXX.

Si nulla est febris, dolor ad unum articulum fixus
quan-

quandoque manet. Si vero notabilis pyrexia adsit, dolor, tametsi unam potissimum juncturam adficiat, tamen numquam fere non plures articulos adgreditur, ac saepe quidem simul & eodem tempore, plerumque tamen de uno in aliud locum migrans, sic ut in una articulatione decrescens in alia quadam vehementior fiat. Nec diu eamdem juncturam tenere solet, sed frequenter ab una ad aliam transit; interdum etiam ad partem, quam ante jam vexaverat, revertitur. Ita sit, ut morbus saepe in longum tempus excurrat.

C C C C X X I.

Pyrexia, hunc morbum comitari solita, quotidie sub vesperam exacerbatur, perque noctem gravior est, dolores simul vehementiores adferens. Noctu etiam illae dolorum transitiones ab una ad alias juncturas contingunt. Haec nocturna dolorum exacerbatio videtur etiam tegumentis & majori calore, quo aeger in lecto fovetur, tribuenda.

C C C C X X I I.

Articulus, postquam aliquamdiu dolore vexatus fuit, plerumque etiam tumore rubente & ad tactum dolente afficitur. Raro quidem accidit, ut superveniens tumor dolorem non levet, qui juncturam ante torquebat; at tamen ex toto non semper eum aufert, neque articulum a reditu ejus omnino tutum praestat.

CCCCXXIII.

Morbum plerumque sudor aliquis comitatur, qui quidem mature & inter morbi initia erumpit, sed raro expeditus vel copiosus est, raro etiam dolores levat, vel crisi morbi facit.

CCCCXXIV.

Procedente malo urinæ intenso sunt colore, & inter initia absque sedimento; sed progressu morbi, postquam pyrexia manifestiores nacta est remissiones, sedimentum dimitunt lateritium. Hoc tamen morbum nequaquam perfecte solvit; etenim diu sœpe, postquam tale sedimentum in urina apparuit, malum adhuc inhæret.

CCCCXXV.

Sanguis e vena detractus semper exhibet phænomena in §. CCXXXII. memorata.

CCCCXXVI.

Rheumatismus acutus, quanquam plurima cum cæteris phlegmatis communia habet, tamen ab omnibus hucusque memoratis eo differt, quod in suppurationem non vergat. Hæc profecto nunquam fere in rheumatismis occurrit; sed tamen interdum humor pellucidus & gelatinosus in tendinum vaginas effunditur. Quod si nobis assumere liceat, frequentes esse tales effusiones, consequens erit, ut effusus humor plerumque iterum abfor-

absorbeatur; siquidem raro ab aliis, & me nunquam observati sunt sub hoc morbo tumores notabiles, aut permanentes, aut omnino tales, qui aperiri & humore contento liberari debuerint. Nec tamen nunquam ab aliis visi sunt, & aperiūlcerata sanatu difficilia pepererunt. Vid. STOKCKIE
Ann. Med. II.

C C C C X X V I I .

In hoc rerum statu, quem ab §. CCCCCXVII. ad §. CCCCCXXIV. descripsi, morbus saepe per plures hebdomades continuatur, vix tamen unquam ad interitum fatalis est; & raro ultra duas aut tres septimanas gravior pyrexia protrahitur, cuius violentia dum remittitur, etiamsi articulorum dolores adhuc perseverent, sunt tamen mitiores, sunt minus vagi, & plerumque uni tantum, aut certe paucis juncturis inhærentes non amplius locum suum facile mutant.

C C C C X X V I I I .

Postquam pyrexia rheumatismum comitata penitus decessit, tumorque articulorum & imprimis rubor ex toto evanuerunt, si superstites nihilo minus dolores manent, & juncturas quasdam adhuc obsident, rigidisque faciunt, sic ut sub motu, per varias cœli mutationes, aut etiam noctu tantum male habeant, tunc morbus, qui hunc ad modum diu saepe insistit, *rheumatismus chronicus*.

cus nominatur. Hic, quoniam plerumque acutæ sequela est, nobis etiam hoc loco considerandus videtur.

C C C C X X I X.

Limites acutum inter & chronicum rheumatismum non semper accurate definiti sunt.

Si dolores ex uno in alium locum adhuc facile transeunt; si noctu præcipue exasperantur; si eodem tempore febriculam, tumorem aliquem, imprimisque ruborem comites habent: tunc sane morbus tamquam naturæ rheumatismi acuti participes considerari debet.

Verum ubi nulla supereft pyrexia; ubi articuli dolentes rubore vacant, & frigidi rigidique sunt, nec sudor in iis facile moveri potest; vel ubi sudor, dum ex reliquo corpore æquabilis & calens fluit, in affectis membris viscidus & frigidus est; denique ubi dolores a frigore augmentur, & applicato calore levantur: tunc malum pro rheumatismo mere chronico haberri debet.

C C C C X X X.

Rheumatismus chronicus varias quidem junc-
turas occupare potest, sed tamen familiariter illas
maxime tenet, quæ multis musculis sunt circum-
datæ, & quarum musculi validius & frequentius
exercitantur. Tales sunt vertebræ lumborum,
quarum rheumatica affectio *lumbago* dicitur; item
coxæ, in quibus vitium *ischias* vel *sciatica* appelle-
atur.

CCCCXXXL

C C C C X X I.

Musculorum vehementes nisus & spasmi, quales sub subitis & aliquantum violentis contentiobibus contingunt, affectiones rheumaticas producere solent, quæ principio acuti rheumatismi naturam quodammodo habent, sed brevissimo tempore chronici indolem nanciscuntur. Hujus generis saepe lumbago aliæque affectiones sunt, quæ in musculis potius, quam in juncturis, sedem videntur habere, velut *Torticollis* sive *obstipitas catarhalis Sauvagesii*, nec non *pleuritis spuria* vel *pleurodyne plethorica & rheumatica* ejusdem auctoris.

C C C C X X I I.

Ex hac concisa rheumatismi historia credimus, causas ejus remotas, diagnosin & prognosin satis intelligi posse. Differentia dolores rheumaticos inter & alios eis similes, qui sphylin & scorbutum comitantur, facile cognoscitur, vel ex sede horum dolorum, vel ex symptomatibus ad illos morbos pertinentibus, quæ simul adsunt. Discri-
men rheumatismum inter & arthritidem plenius intelligetur ex iis, quæ in proximo capite dicenda sunt.

C C C C X X I I I.

De causa proxima rheumatismi variæ fuerunt Medicorum opiniones. Plerumque singulari cui-
dam acrimoniæ tribuitur; cujus tamen eviden-

tiam mihi profecto nondum habere contigit. Quin potius causarum remotarum, symptomatum, ac curationis contemplatio hanc opinionem veri nequaquam similem esse ostendit. Causa, ischiadi nervosæ a *Cotunnio* assignata, mere hypothetica mihi videtur, neque a phænomenis, neque a curandi methodo confirmatur.

Et tamen malum, naturæ rheumaticæ particeps, a materie acri nervis admota interdum induci certum est, & evidentissimum in odontalgia, quæ affectio vere rheumatica ex dente carioso plerumque nascitur.

Dolores quoque, rheumaticis non absimiles, a suppurationibus profunde sitis proficisci posse, docuerunt nos casus nonnulli, in quibus talis causa produxerat symptomata, lumbaginem aut ischiadém æmulantia. Vel sic tamen credimus, si sufficiens animi attentio adhibetur, hosce casus a suppuratione pendentes posse a genuina lumbagine atque ischiade utplurimum discerni. Omninoque ex iis, quæ ante dicta sunt (§. CCCXXVI.), nobis videtur consequi, vero neutiquam simile esse, ut exquisita lumbago aut ischias unquam in suppurationem desinat.

C C C C X X X I V.

Proxima rheumatismi causa a multis quæsta est in lentore humorum, quo vasa affectæ partis obstruantur; sed argumenta in §. CCXXXVII. 2. 3.

4 & 5. proposita hoc loco pariter contra lento-
ris hypothesin valent.

C C C C X X X V.

Cum igitur nec evidens nec probabilis ratio
nōbis persuadeat, rheumatismum a mutata fluido-
rum indole nasci, fas est credere, causam proximam
rheumatismi acuti eandem esse ac cæterarū in-
flammationum, quæ non directe ab aliquo stimulo
producuntur.

C C C C X X X V I.

Nostra opinio est: rheumatismi causam remo-
tam, quæ maxime familiaris est, scilicet frigus ap-
plicatum, præcipue in juncturarum vasa suam vim
exserere, quoniam hæc rariore textu celluloſo,
quam mediæ artuum partes, tecta sunt; effectum
vero frigoris esse conſtrictionem extre morum vas-
culorum, eodemque tempore toni augmentum ſive
diathesin phlogistica in eorum continuatione
productam; unde sanguinis impetus major fiat,
ſimulque libero ejus transitui obſtaculum pona-
tur, & propterea inflammatio ac dolor nascantur.
Postquam vero talis reſiſtentia inducta fit, ab hac
vim medicatricem excitari, & hinc sanguinis impe-
tum ulterius augeri; hujus denique ſuſtentandi cau-
ſa ſtadium frigoris ordiri, ſpasmus formari, py-
rexiam & diathesin phlogistica in universo fy-
ſtemate produci.

C C C C X X V I I.

Juxta hanc explanationem causa rheumatismi acuti prorsus similis esse videtur causæ inflammationum, quæ ab aucto sanguinis ad partem aliquam, frigoris actioni expositam, affluxu pendent.

Sed præter hæc videtur in rheumatismo peculiaris quædam affectio in fibris muscularum obtinere; videlicet rigiditas aliqua, quæ efficiat, ut fibræ ad motum minus habiles sint, & hinc doleant, dum exerceri incipiunt. Eademque affectio videtur occasionem dare illi dolorum ex una in aliam juncturam propagationi; qui quidem dolores in finibus fibrarum, id est, circa juncturas ideo sunt acerbiores, quoniam oscillationes non ultra pertingunt,

Hæc fibrarum muscularium affectio pulcre declarat modum, quo fortiores nisus ac spasmi mala rheumatica inducunt; & universim docet, præter phlogisticam sanguiferi systematis diathesin esse etiam in rheumatismo fibrarum muscularium affectum peculiarem, a quo morbi phænomena ex magna parte pendeant.

C C C C X X X V I I.

Exposuimus nostram de causa rheumatismi proxima opinionem; nunc ad curationem ejus progredimur.

C C C C X X X I X.

Quæcunque adhuc difficultates contra theoriam nostram

nostram in §§. CCCCXXXVI. & CCCCXXXVII. propositam moveri queant, hoc certum est, in rheumatismo acuto speciem quandam inflammationis in partibus esse, & diathesin phlogisticam in toto systemate. Atque his nititur medendi ratio, quam experientia diuturna confirmavit.

C C C C X L.

Igitur curatio ante omnia exigit regimen anti-phlogisticum, ac nominatim plenam abstinentiam a cibo animali, & ab omni liquorc fermentato vel spirituoso; quorum in locum diæta blanda vegetabilis aut lactea, atque liberalis diluentium mitiumque potuum usus surrogari debent.

C C C C X L I.

Eandemque ob caussam (§. CCCCXXXIX.) sanguinis missio acuti rheumatismi princeps remedium est. Oportet sanguinem magna copia detrahi, & venæ sectionem pro frequentia, plenitudine ac duritie pulsus, item pro doloris vehementia repeti. Ut plurimum sane liberales ac repetitæ sanguinis missiones primis morbi diebus videntur necessariæ; ideoque etiam audacter in usum ductæ sunt; sed tamen modum ac fines servari necesse est; siquidem nimia sanguinis profusio convalescentiam valde tardam facit, & nisi protinus malum solvat, inducendo rheumatismo chronico apta est.

C C C C X L I I.

Ut labefactatio corporis, quam sanguinis missio-
nes generales facile inducunt, evitetur, satius fæ-
pe est, venæ sectionibus topicis uti, ut urgens do-
loris symptoma leniatur. Et sane, quoties arti-
culi jam tument atque rubent, topicis his eva-
cuationibus dolores satis certo levare possunt. Cum
vero morbi continuatio potius phlogisticæ diathesi
totius corporis, quam singularium partium affectio-
ni, tribuenda videatur, idcirco topicæ sanguinis
missiones non possunt vim & vices generalium
venæ sectionum paullo ante laudatarum supplere.

C C C C X L I I I.

Ut diathesis phlogistica in hoc affectu præva-
lens tollatur, alvi ductio prodesse potest, si nem-
pe medicamentis fiat, quæ non universum corpus
stimulant, qualia sunt sales neutri, qui quodam-
modo refrigerant. Neque tamen purgatio ventris
ad superandam diathesin phlogisticam tantum va-
let, quantum venæ sectio; quin etiam crebræ de-
jectiones, si morbus jam universalis est & vehemens
factus, non solum incommodæ, sed etiam noxiæ
sunt ob motum corporis & dolores, quos indu-
cunt.

C C C C X L I V.

In acuto rheumatismo externa remedia ad par-
tes laborantes applicata parum conducunt. Fo-
menta initio morbi dolorem non tam levant, quam
exaspe-

exasperant. Rubefacientia atque Camphora maiorem in mitigandis doloribus vim exserunt; plerumque tamen nihil aliud præstant, quam ut dolorem ex una in aliam partem compellant; utique ad veram morbi sanationem nihil conferunt. Verificatoria etiam dolori ex una aliqua parte removendo admodum idonea sunt, sed tamen, nisi malum in una potissimum parte defixum sit, exiguum præstant utilitatem.

CCCCXLV.

Varia illa remedia, quæ in §§. CCCCXXXIX. ad §. CCCCXLIII. memoravimus, morbi vehementiam moderantur, & malum nonnunquam ex toto tollunt; sed tamen subinde sanationem neutiquam perficiunt. Utique largas & repetitas venæ sectiones, curationis caussa factas, multa incommoda parere jam vidimus in §. CCCCXLI; & usus docuit, præstantissimam tutissimamque morbi abigendi methodum hanc esse, ut præmissis aliquot generalibus venæ sectionibus, quæ, si non tollere, saltem minuere diathesin phlogisticae valeant, sudoribus movendis opera detur secundum regulas & cautelas in §§. CLXII & CLXIII. expositas.

CCCCXLVI.

Opiata, nisi ad sudorem eliciendum dirigantur, semper & per omnia morbi stadia nocent.

CCCCXLVII.

C C C C X L V I I.

Cortex peruvianus in nonnullis hujus morbi casibus efficax remedium habitus est; nobis tamen raro utilem, aliquando perniciosum semet probavit. Scilicet in illis duntaxat casibus convenire mihi videtur, ubi diathesis phlogistica notabiliter jam imminuta est, simulque dolores per certas periodos exacerbantur, interpositis evidentibus remissionibus.

C C C C X L V I I I.

Calomel & aliæ quædam mercurii præparatio-nes contra acutos rheumatismos commendata sunt; sed ego credo hæc pharmaca in illis tantum casibus prodeesse, qui ad naturam chronici rheumatismi proprius accedunt.

C C C C X L I X.

Sic methodum rheumatismo acuto medendi absolvimus; ideoque nunc ad curationem chronici, qui prioris frequentissime pedissequus est, progredimur.

C C C C L.

Phænomena rheumatismi mere chronicī, in §§. CCCXXVIII & CCCXXIX recensita, mihi persuadent: causam ejus proximam esse atoniam tam in vasis sanguiferis, quam in fibris muscularibus partis affectæ, nec tamen simplicem, sed comitatem aliqua fibrarum rigiditate & contrac-tione,

tione, quæ quippe frequenter cum atonia con-
junctæ sunt.

C C C C L I.

Intuitus proximæ, quam assūsimus, caussæ hanc
dictat generalem indicationem: curandum esse,
ut tonus ac vigor principii vitalis in parte affecta
instaurentur. Et sane remedia hujus mali, quæ
usus maxime probavit, talia præcipue sunt, ut in-
dicationi propositæ evidenter respondeant.

C C C C L I I.

Hæc remedia vel externa vel interna sunt.

Externa sunt primo, quæ calorem vitalem par-
tis conservant assiduo lanei panni tegmine; deinde
quæ calorem partis externo fotu, vel sicco, vel
humido, augent; porro diligens strigilis usus &
alii frictionum modi; adhæc electrificatio, vel sim-
plex, vel etiam concutiens; aquæ frigidæ usus for-
ma embrocationis, vel immersionis; applicatio
oleorum essentialium, quæ maxime calefaciunt, se-
que profundius penetrant; ipsa muria salis admo-
ta; denique exercitatio vel ipsius partis, quatenus
hæc motum commode fert, vel totius corporis
equitatione aut alio gestationis genere.

C C C C L I I I.

Remedia interna sunt;

1°. liberales doses oleorum essentialium, ex sub-
stantiis resinosis, v. g. ex terebinthina, extractorum;

2°. sub-

2°. substantiæ ipsæ olea hæc continentes, ut
guaiacum;

3°. sales volatiles alcalini;

4°. eadem hæc vel alia quædam medicami-
na, sudori proliendo convenienter administrata
(§. CLXIII.); denique

5°. calomel aut aliæ mercurii præparationes,
minutis dosibus cum quadam perseveratione data.

C C C C L I V.

Atque hæc (§. CCCCLIII.) remedia sunt ge-
nuini rheumatismi chronici ab usu maxime proba-
ta. Evidem alia insuper passim commendantur,
velut venæ sectio, tam generalis, quam topica,
ustio, vesicatio, & fonticuli; sed hæc tamen mi-
hi videntur tunc præcipue, & forsan solum, utilia
esse, cum morbus de natura acuti rheumatismi
adhuc participat.

C A P U T . X I I .

De Arthritide seu Podagra.

C C C C L V.

Arthritis non tantum in variis hominibus, sed
in eodem etiam homine diversis temporibus adeo
varias habet formas, ut perdifficile sit, plenam
ejus & accuratam historiam scribere, & characte-
rem omnibus varietatibus respondentem concin-
nare. Attamen operam dabo, ut morbum, prout
familiariter apparere & decurrere solet, ejusque
discri-

discrimina, quoad potero, accurate exponam. Ex tali historia genericum characterem exspectare nobis licet; & nos quidem inde jam sequentem definitionem deduximus, Nosologiæ nostræ prope diem denuo edendæ inferendam.

Gen. XXIII. PODAGRA.

Morbus hæreditarius, oriens sine causa extera evidente, sed præeunte plerumque ventriculi affectione insolita; pyrexia; dolor ad articulum & plerumque pedis pollici, certe pedum & manuum juncituris, potissimum infestus; per intervalla revertens, & saepe cum ventriculi & internarum partium affectionibus alternans.

C C C C L V I.

Podagra utplurimum hæreditarius morbus est; & tamen nonnullos hæreditaria labes vacantes invadit; vicissimque in aliis insitam hanc labem habentibus per varias causas anteverti potest. Quæ quidem discrimina non possunt, quin a generali nostra assertione quasdam exceptiones pariant; sed tamen facta, quibus assertio nititur, admodum numerosa sunt.

C C C C L V I.

Hic morbus potissimum mares afficit; sequiori sexui, licet rarius contingat, non tamen omnino parcit. Inter feminas, quæ robustiores sunt & plenio-

pleniore habitu, has frequentius cæteris infestat;
 & quidem sæpiissime ante mensium cessationem.
 Ego sane plures vidi feminas huic malo obnoxias,
 quibus menstrua solito abundantiora erant.

CCCCLVIII.

Eunuchos podagra raro aggreditur; utique illos
 tantum, qui robusto habitu sunt, qui otio tor-
 pent & plenissima diæta utuntur, afficere videtur.

CCCCLIX.

Præ cæteris invadit viros, quorum robusta &
 vasta corpora sunt, quorum magna capita, habi-
 tus crassus & plenus, quorum denique cutis
 densiore reticulo mucoso tecta est, quod radio-
 rem corporis superficiem facit.

CCCCLX.

Si nobis more veterum liceret temperamenta
 hominum certis terminis circumscribere, dixe-
 rim, podagræ imprimis obnoxium esse tempera-
 mentum *cholerico-sanguineum*, rarissime vero
 genuinum sanguineum aut melancholicum. Sed
 hæc debita cum accuratione definiri vix possunt.

CCCCLXI.

Qui assiduis laboribus corpus exercent, item
 qui vegetabili potissimum victu utuntur, raro po-
 dagra laborant.

CCCCLXII.

C C C C L X I I.

Podagra homines familiariter non ante annum ætatis trigesimum quintum invadit; quin plerumque notabili post hanc periodum intervallo demum. Dantur quidem exempla podagræ maturius ingressæ; verum exiguo sunt numero, si illis comparantur, quæ fundamentum propositæ regulæ constituunt. Juniorem ætatem tantummodo tunc afficere videtur, cum labes hæreditaria admodum magna est, & cum causæ remotæ, quas paulo post memorabimus, majore gradu & vehementia egerunt.

C C C C L X I I I.

Quoniam podagra morbus hæreditarius est, & homines peculiari quodam corporis habitu distinctos potissimum infestat, causæ ejus remotæ duplicis quasi generis erunt, aliæ prædisponentes, aliæ occasioales.

C C C C L X I V.

Causa prædisponens, quatenus externis notis significatur, a nobis jam explicita est. In assig-nandis occasionibus seu causis procatharticis Me-dici quoque satis prompti fuerunt & confidentes. Verum in morbo, qui ab insita corporis temperie plurimum dependet, non potest causarum occa-sionalium determinatio non esse incerta; quando-quidem in hominibus prædispositis fieri facile potest, ut occasioales causæ non percipian-tur,

tur, & contra in iis, qui labe hæreditaria vacant, eadem subinde apparent, sed effectum non fortuntur. Quæ ambiguitas quanquam in æstimandis podagræ caussis maxime obtinet; ego tamen, quæ vero maxime similia videntur, de iis proponam.

CCCCLXV.

Causæ arthritidis occasioñales videntur duplices esse generis. Unum genus est earum, quæ plenoricam corpori conditionem inferunt; alterum illarum, quæ corpori plethorico debilitatem important.

CCCCLXVI.

Prioris generis sunt vita sedentaria & otiosa, atque plenissimus & animalis victus. Utique tales conditiones morbum plerumque antecedunt. Utrum vero ad producendum morbum reapse valiant faciantque, si forte dubitetur, ex illis, quæ in §. CCCCLXIV. notata sunt, satis probabiliiter judicari potest.

CCCCLXVII.

Posterioris generis causæ occasioñales, debilitatem scilicet induentes, multæ sunt: velut Venus immoda; spirituum inebriantium abusus; cruditates ex quantitate vel qualitate alimentorum in primis viis congestæ; intemperantia in studio litterarum, aliisque negotiis; vigiliæ & lucubrationes; evacuationes modum excedentes; cessatio a con-

fuento

lucto labore; subitus a vietu valde pleno ad valde
enuem diætam transitus; acidorum & acescen-
tum largior usus; denique frigus ad artus infer-
iores applicatum.

C C C C L X V I I.

Priores (§. CCCCLXVI.) sic agere videntur,
et insitam corpori prædispositionem augeant. Pos-
teriores (§. CCCCLXVII.) ut plurimum cauſſæ
excitantes sunt tam morbi primum erumpentis,
quam ejusdem per vices revertentis.

C C C C L X I X.

Paroxysmum podagricum proprie dictum con-
stituit affectio inflammatoria quorundam articulo-
rum. Hæc nonnumquam subito & sine ulla præ-
nsione ingruit; sed plerumque tamen præcedi-
at pluribus symptomatis, qualia sunt: suppressio
odoris, cui pedes assueti erant; insolitus frigus
pedum & crurum; frequens stupor cum punctio-
nibus & formicationis sensu alternans juxta artuum
inferiorum longitudinem; crebri muscularum cru-
dum crampi; denique insolita venarum turges-
centia.

C C C C L X X.

Dum hæc in artubus inferioribus contingunt,
tum corpus torpore quodam & languore affec-
tum est, imprimisque stomachi functiones magis
minus laſſæ sunt. Appetitio cibi imminuta,

flatuum molestiæ, & alia cruditatis signa percipiuntur. Hæc symptomata, perinde ac priora (§. CCCCLXIX.), pluribus diebus, quandoque integra, quin duabus septimanis, ante incident, quam paroxysmus erumpit; sed fere constans est, ut pridie paroxysmi appetitus solito major sit.

C C C C L X X I.

Hoc autem modo paroxysmi decurrunt. Ut plurimum vernali tempore incident, & quidem ocius aut serius, prout calor vernalis frigori hiberno maturius vel lentius succedit, & fortassis etiam, prout homo vicissitudinibus caloris & frigoris magis vel minus objicitur.

C C C C L X X I I.

Initium paroxysmi quandoque sub vesperam percipitur, sed frequentius hora post mediam noctem secunda vel tertia. Incipit autem a dolore unum pedem affiente, & quidem ut plurimum hujus pedis pollicem, interdum tamen alias ejus partes. Dolorem plerumque comitatur horripilatio quædam, nunc gravior, nunc levior, quæ, ut dolor sensim crescit, sic gradatim minuitur, & statim febrili æstu excipitur, quamdiu dolor durat, perseverante. Ipse dolor principio non valde violentus sensim paulatimque vehementior fit, atque cum magna corporis totius irrequie usque ad medium sequentis diei noctem crescit; quo-

tem-

tempore exacto pedetentim remittitur; atque nycthemeri spatio post primam invasionem elapsa plerumque penitus quiescit, jamque leni simul sudore prodeunte ægrum obdormire patitur. Ab hoc somno æger mane evigilans dolentem partem rubore ac tumore aliquo affectam percipit, qui per aliquot dies insistunt, dein paulatim decedunt.

C C C C L X X I I .

Paroxysmo ad hunc modum orso, dolor, et si post viginti quatuor horas de sua vehementia multum remittat, tamen ægrum nequaquam prorsus immunem relinquit. Per aliquot dies sub vesperam exacerbatio doloris ac pyrexiae quotidie obtinet, & modo magis, modo minus vehemens usque ad tempus matutinum protrahitur. Postquam hoc modo per plures dies duravit, morbus quandoque ex toto finitur, non nisi longo tempore post redditurus.

C C C C L X X I V .

Si morbus, postquam dicto modo articulum aliquem ad tempus torsit, penitus cessat, fieri plerumque solet, ut æger in sanitatem integrum restitutus, quoad omnes functiones, tam animi quam corporis, majore facilitate & alacritate fruatur, quam a longo tempore usus fuerat.

C C C C L X X V .

Inter morbi initia recidivæ rariores sunt, ac

subinde tertio aut quarto tantum anno semel contingunt. Sed ut morbus progreditur, sic breviora intervalla relinquunt, paulatimque invalescens singulis annis semel revertitur; deinde bis in anno invadit; & tandem sæpius redit toto, quod autumnum, hyemem, ac ver complectitur, tempore: atque, ut paroxysmi, quo frequentiores, hoc etiam longiores esse solent, sic æger, postquam morbus quasi ætate proiectus & confirmatus est, fere nunquam, nisi forte per duos aut tres æstatis menses, ab eo prorsus immunis est.

C C C C L X X V I.

Morbi progressus ex partibus etiam, quas afficit, cognoscitur. Inter initia plerumque unum modo pedem, deinceps in singulis paroxysmis ambos, unum post alterum, vexat. Sensim procedens, non modo pedem utrumque semel exercet, sed ex eo, quem novissime torserat, ad priorem revertitur, nec nunquam ad alterum denuo transit. Porro sedem suam non tantum ex uno pede ad alterum pedem transfert, verum etiam ex pedibus in alios corporis articulos, præcipue artuum, tam superiorum quam inferiorum; adeo ut vix ulla corporis junctura sit, quam non aliquando invadat. Subinde eodem tempore duas simul juncturas obsidet, sed frequentius singulas seorsim infestans, ab una ad aliam ordine quodam pergit; qua de caussâ ægri ærumnæ ad longum sæpe tempus protrahuntur.

CCCCLXXVII.

CCCCCLXXXVII.

Postquam morbus fæpe reversus est, cum paroxysmi frequentiores sunt, tum dolores plerumque minus, quam initio erant, violenti esse solent; sed ægritudo stomachi & cetera podagræ atonicæ symptomata, quæ paulo post enumerabimus, graviora sunt.

CCCCCLXXXVIII.

Post primos morbi insultus, articuli doloribus defuncti pristinam mobilitatem ac robur recuperant; iidem vero post frequentes recidivas neque cito, nec plene, in naturalem statum restituuntur, sed debiles rigidique manent; atque hæc vitia eo usque tandem invalescent, ut articuli ad motum omnino inhabiles fiant.

CCCCCLXXXIX.

In multis, non tamen in omnibus, podagrericis post frequentes morbi reditus concretiones quasi cretaceæ ad juncturarum externam superficiem nasci solent, & plerumque quidem sub ipsa cute. Harum materies principio fluida esse videtur, & post decubitum exsiccati sensim ac durescere. Obfirmatæ jam concretiones ostendunt friabilem & terrestrem substantiam, quæ ab acidis protinus & plene dissolvitur. Eadem vero, cum aliis caussis concurrentes, ad immobilitatem juncturis inducendam plurimum faciunt.

C C C C L X X X.

In plerisque hominibus, qui arthritide per multos annos laborarunt, nephriticus affectus gignitur, prodens sese omnibus signis, quæ calculofas concretiones in renibus factas comitantur, de quibus alio loco dicemus. Nunc unum hoc notari convenit: nephritidem talem cum paroxysmis podagricis vices alternare, ambos vero affectus, nephriticum ac podagricum, vix unquam simul existere. Est etiam animadversione dignum, qui a parentibus podagricis vel nephriticis geniti sunt, hos plerumque alterutrum horum affectuum sibi insitum habere; uter vero affectus apud parentes principalis fuerit, liberorum nonnullos huic, alios alteri magis obnoxios esse. In nonnullis sola nephritis se manifestat sine ullis podagræ signis, quod quidem in filiabus parentum podagricorum frequenter conspicitur.

C C C C L X X X I.

Hactenus historiam podagræ sic narravimus, ut consuetam morbi & maxime familiarem formam exhiberet, quæ proinde, licet sub progressu mali varias mutationes subire possit, tamen *regularis podagræ* conditio dici meretur. Verum per varios casus & occasiones externam morbi speciem admodum diversam observamus. Quum autem periusum nobis sit, originem mali in quadam diathesi sive dispositione corporis quærendam sem-

per esse, hinc omne phænomenon, quod ab eadem diathesi pendere videtur, tamquam symptoma atque casus podagræ a nobis spectatur. Præcipuum morbi, qui *podagra regularis* a nobis nominatur, criterium est affectio inflammatoria juncturarum. Quæcunque vero symptomata connexionem aut necessitudinem habent cum diathesi, hanc affectiōnem inflammatoriam producere solita, & tamen sine hac obtinent, saltem non simul cum ea existunt, nomen *podagræ irregularis* a nobis accipiunt.

C C C C L X X X I I.

Hujus podagræ irregularis tres notabiles sunt differentiæ, quas *atonicam* (*atonic gout*), *retrogradam* (*retrocedent gout*), & *aberrantem* (*misplaced gout*) nominamus.

C C C C L X X X I I I.

In prima specie diathesis *arthritica* dominatur quidem in corpore, sed a quibusdam causis impeditur, quo minus circa juncturas inflammatorium illum affectum producat. In hoc casu morbosa, quæ apparent, symptomata sunt præcipue stomachi affectiones, velut appetitus prostratus, apepsia, hujusque comites, ægritudo, nausea, vomitus, flatulentia, ructus acidi & dolores in regione epigastrica. His symptomatis frequenter se jungunt dolores ac spasmi in pluribus trunci locis, nec non in superioribus corporis partibus, qui ructi-

bus e stomacho expulsis levantur. Hanc ventriculi perturbationem ut plurimum comitatur venter adstrictus; nonnunquam tamen alvus liquida & cum doloribus colicis fluens. Atque his fistulæ cibalis affectibus sœpe junguntur omnia hypochondriasis symptomata, velut pusillanimitas, assidua ac sollicita mentis attentio ad levissimas in corpore perceptiones, harum imaginaria exaggeratio & periculi hinc quasi impendentis metus.

Eadem podagra atonica visceribus thoracis non omnino parcit, sed subinde palpitationes, cordis imbecillitatem & asthmata importat.

Caput quoque afficit, cephalalgias, vertigines, apoplecticos ac paralyticos affectus quandoque produceens.

C C C C L X X X I V.

Varia hæc symptomata, quæ modo recensui, si quando in corporibus, notas diathesis arthriticæ gerentibus, semet prodant, ab hac ipsa proficiisci & pendere recte creduntur, præsertim si jam antea in iisdem corporibus evidentes podagræ inflammatoriæ prænuntii extiterint, vel si hujus quædam indicia simul cum memoratis symptomatibus adfiant & eorum molestiam levent. His in casibus nequaquam dubitari potest, quin fons ægritudinis podagræ labes sit.

C C C C L X X X V.

Altera morbi species est, quæ retrograda vel
and retro-

retrocedens a nobis appellatur. Hæc obtinet, ubi inflammatio ad articulos more solito se prodit, sed ad eum doloris & æstus gradum, quem solet attingere, non adscendit, aut saltem spatium temporis consueti non emetitur, utique non ordinario modo lente & gradatim decedit; sed repente & ex toto cessans statim excipitur partis internæ cuiusdam molesto affectu. Inter partes internas nulla frequentius afficitur, quam ventriculus, unde anxietas, ægritudo magna, vomitus aut dolor vehemens oriuntur; tamen & cor nonnumquam afficitur, unde syncope; interdum etiam pulmo, unde asthma; quandoque ipsum caput, unde apoplexia vel paraly sis. Quibus omnibus in casibus dubium esse nequit, quin cuncta symptomata ejusdem morbi partes sint, utcunque dissimiles in variis partibus affectiones videantur.

C C C C L X X X V I.

Tertia podagræ irregularis species, quam *aberrantem* vel *deviam* (*misplaced gout*) nuncupamus, obtinet, ubi diathesis arthritica affectum inflammatorium non ad articulos, sed in parte quædam interna sic producit, ut eadem symptomata, quæ hujus partis inflammationem ab aliis causis natam comitantur, appareant.

Utrum diathesis podagræ unquam inflammationem in parte interna ante producat, quam in articulis excitaverit? An vero illa partis internæ inflammatio semper metastasis ab articulis prius

affectis sit? definire non audemus. Verum etiam si posterior hypothesis universaliter admittatur, vel sic tamen censemus diversitatem affectionis in parte interna nascentis certum criterium exhibere, quo podagra devia ab ea, quam retrocedentem nominavimus, distingui possit.

C C C C L X X X V I I .

Quænam ex partibus internis podagra aberrante corripi queant, definire nequeo; quoniam nulla unquam deviæ podagræ exempla inter medendum mihi oblata sunt; neque apud scriptores praticos legere contigit casus satis distincte notatos, præter unum pneumaticæ inflammationis.

C C C C L X X X V I I I .

Duo sunt podagræ aliorum translatæ casus: unus est affectus in collo vesicæ, dolorem, stranguoram, & catarrhum vesicæ inducens; alter est affectus intestini recti, qui subinde in hac parte sola dolorem ciet, subinde etiam symptomata hæmorrhoidalia producit. Tales utique affectiones in podagricis cum articulorum inflammatione alternantes vidi. Utrum vero podagræ retrogradæ, an potius aberranti tribui debeant, non aut sim determinare.

C C C C L X X X I X .

Ex hac podagræ historia censeo morbum, quibus demum cumque formis variantem, semper discerni.

Equi-

Equidem vulgaris opinio est, dari casus, in quibus arthritis a rheumatismo distingui difficulter queat; & forte tales existunt. Verum tamen plerumque duo hi morbi satis certo internosci possunt, modo animum recte advertamus ad prædispositionem, ad res antecedentes, ad partes affectas, ad reversiones morbi, ejusque cum toto corpore connexionem; quæ quidem omnia ac singula ut plurimum aliter in uno, quam in altero malo, se habent.

C C C C X C.

Ordo nunc exigit, ut podagræ causam proximam investigemus; quod quidem difficile pensum est, nec sine diffidentia a me tentatur.

C C C C X C I.

Quocirca communis opinio est: podagram nasci a materie quadam morbifica, quæ nunquam non in corpore præsens sit; & hanc materiam, certis accendentibus causis, ad articulos aliasve partes de latam, varia morbi phænomena producere.

C C C C X C I I.

Hæc doctrina, utut antiqua & universaliter recepta, multis difficultatibus laborare mihi videtur.

1°. Nam primo nullum est evidens signum, quod præsentiam materiæ morbificæ in hominibus ad podagram pronis aperte declaret. Nulla sunt experimenta, nullæ observationes, quæ ostendant,

fan-

sanguinem & aliosve podragicorum succos ab humoribus aliorum hominum diversos esse. Neque podagræ insultum præcedunt signa vitiatorum humorum, siquidem morbus plerumque invadit homines, qui illibata sanitate usi erant, eademque frui, dum malum accedit, adhuc videntur. Habet quidem morbus periodum, in qua materies peculiaris hinc inde apud podragicos apparet (§. CCCCLXXIX); sed quoniam neque apud omnes, neque ante cernitur, quam morbus jam diu substitutus, ideo effectus, non causa morbi, haberi debet. Adhæc res illæ acres, quæ corpori ingestæ podagram aliquando excitare videntur (§. CCCCLXVII.), probabiliter morbum non ita dignunt, ut causam materialem adferant, sed alio quodam modo operantur. Universim igitur nullum est evidens indicium materiæ morbificæ, podagram dignentis.

2°. Hypotheses de propria hujus materiæ podagram procreantis indole adeo diversæ & inter se adeo pugnantes fuerunt, ut vel hinc concludere nobis liceat, nullius existentiam vere demonstratam esse. Utique complures earum philosophicæ chemiæ perinde atque œconomiæ animalis legibus adeo repugnant, ut eas omnino rejici oporteat.

3°. Et si morbifica talis materiæ existentia ultra concedatur, tanquam podagræ causa, tamen explicandis morbi phænomenis, & peculiariter frequentibus & subitis mali ab una in aliam partem translationibus nequaquam congruit.

4°. Hy-

4°. Hypothesis illa ideo etiam a veritate aliena videtur, quod materiæ morbificæ effectio in variis, quas invadit, partibus sibi semper similis esse deberet; cum e contrario admodum diversa videatur, utpote stimulans & inflammationem producens in articulis, contra in stomacho sedativa & tonum destruens: quæ actionis dissimilitudines, si eadem caussa materialis assumatur, ex partium affectarum diversitate explicari neutiquam possunt.

5°. Facta, quæ ad existentiam materiæ morbificæ comprobandam proferuntur, haud satis confirmata sunt; v. g. illa, quæ morbum esse contagiosum demonstrare dicuntur. Hujus profecto asserti nulla est evidentia, siquidem exempla, afferri solita, cum numero pauca, tum exceptionibus obnoxia, sunt; observationes vero in contrarium innumerabiles.

6°. Nonnulla argumenta, quæ pro materie podagrifica afferri solent, falsa interpretatione nituntur. Morbus creditur a materie quadam pendere, quoniam est hæreditarius. Sed hæc rationis conclusio non est justa. Plerique enim hæreditarii morbi non a morbifica materie, sed a singulari conformatione organicæ corporis structuræ, quæ a parentibus ad prolem venit, oriuntur. Et hoc peculiariter circa podagram obtinere videtur. Ad hæc animadverti oportet, vitia hæreditaria, quæ ab aliqua materie pendent, maturius & in ætate minus proiecta semper se prodere, quam podagra plerumque solet.

7°. Est

7°. Est porro materiæ podagricæ assumptio inutilis, siquidem idoneam medendi rationem hucusque nullam suggestit. Hypotheses haud raro praxin medicinalem vitiarunt, & Medicos sæpe a via, quæ ad scopum dicit, & a praxi, quam experientia probat, abduxerunt. Adhæc, hypothesis materiæ podagricæ, licet univertaliter recepta fuerit, tamen in praxi plerunque neglecta est. Si quando podagra ventriculum turbavit, neino de corrigenanda materie, quæ ibi præsens esse creditur, cogitat, sed tantum de initaurando fibrarum motricium tono.

8°. Hypothesis materiæ arthriticæ omnino supervacua est. Nihil enim ad interpretationem morbi valet, nisi ponamus, ab illa materie conditionem virium motricium mutari. Atqui talis virium motricium mutatio, ab aliis causis deducta, sine adminiculo assumptæ materiæ explicandis omnibus phænomenis sufficit. Quocirca notari insuper convenit, multas ex causis (§. CCCCLXVII.), podagram excitantibus, non in fluida, sed directe in vires motrices & in has folas, agere.

9°. Denique eadem hypothesis ideo etiam supervacua est, quoniam absque ejus interventu morbus sic explicari potest, ut interpretatio melius respondeat cum phænomenis morbi tum legibus œconomiæ animalis, atque etiam medendi methodo ab experientia comprobatae. Ad hanc igitur explicationem nunc progredimur, sed præmittere tamen observationes quasdam generales debemus.

CCCCXCIII.

CCCC XC III.

Prima observatio est: podagram esse morbum totius corporis, sive talem, qui a primitiva quadam conformatione & constitutione hominis pendeat; quod ex factis, ab §. CCCCLVI. ad §. CCCCLXII. memoratis, clarissime apparet. Atqui universi hominis conditio a viribus motricibus primariis præcipue dependet; ideoque podagra harum maxime virium affectio haberi poterit.

CCCC XC IV.

Altera observatio est: podagram evidenter systematis nervosi affectionem esse; in quo quippe vires motrices primariae sedem habent. Pleraque causæ occasioales vel excitantes (§. CCCCLXVII.) ejus fere modi sunt, ut in nervos & genus nervosum directe agant; atque etiam pleraque symptomata podagræ atonicæ & retrocedentis evidenter nervei systematis affectiones sunt (§§. CCCCLXXXIII. CCCCLXXXV.). Quod quidem nos impellit, ut universi morbi explanationem ex legibus systematis nervei, imprimisque ex mutationibus, quæ in æquilibrio hujus systematis eveneri possunt, petendam esse censeamus.

CCCC XC V.

Tertia observatio est: ventriculum, cuius universalis est cum reliquo corpore consensus, eam esse partem internam, quæ omnium frequentissime

P &

& saepe admodum vehementer a podagra afficiatur. Utique paroxysmos antecedit ut plurimum affectio stomachi (§. CCCCLXX.) ; adhæc multæ ex causis podagram excitantibus (§. CCCCLXVII.) primo in eundem agunt ; denique symptomata atonicæ & retrogradæ podagræ (§§. CCCCLXXXIII. CCCCLXXXV.) plerumque & peculiariter idem organum afficiunt. Hæc observatio dicit nos ad aliam hoc loco commemorandam : scilicet conditiones partium internarum & externarum ita esse inter se nexus, ut quasi æquilibratæ sint ; imprimitusque ventriculum inter & partes externas (§. XLIII.) tantam intercedere necessitudinem, ut secum invicem toni gradum, quem habent, communicare queant.

C C C C X C V I.

His observationibus præmissis, sequentem podagræ pathologiam nunc offero.

In nonnullis hominibus corporis conditio est valida ac plethorica (§. CCCCLXVI.) ; sed ad certum vitæ terminum obnoxia detimento toni in extremis partibus (§. CCCCLXIX.). Hæc toni jactura cum toto systemate aliquatenus communicatur, sed speciatim in ventriculi functionibus appareat (§. CCCCLXX.). Si mature & jam tum incidit, cum cerebri in vigore adhuc est, vis medicatrix naturæ ad tonum in partibus instaurandum excitatur ; atque hanc instauracionem perficit interventu inflammatoriæ affectionis in

in partium extremarum aliqua productæ. Hæc affectio postquam per dies aliquot duravit, tonus extremarum partim totiusque corporis renovatus est, & æger in pristinam sanitatem restituitur (§. CCCCLXXIV.).

CCCCXCVII.

Hoc modo decurrit, si formam ordinariam servat, morbus, quem *regularem podagram* nominamus; sed variae corporis conditiones sunt, quæ hunc cursum interrumpunt aut pervertunt. Veluti si atonia (§§. CCCCLXIX. CCCCLXX.) jam inducta est, sed reactio (§. CCCCXCVI.) eam non sequitur; tunc atonia in stomacho vel in aliis forte partibus internis perdurat, & illum producit statum, quem antea ob rationes nunc satis manifestas *podagram atonicam* nominavimus.

CCCCXCVIII.

Alter modus, quo podagra a consueto cursu deflectere solet, hic est: inductæ atoniæ reactio & inflammatio ad certum usque gradum succéidunt, sed a cauſis quibusdam ſive internis ſive externis tonus partium extremarum & forte totius corporis adeo est labefactatus, ut inflammatoria affectio, priusquam ad debitum gradum pervenerit, ut tempore ad instaurandum tonum necessario luraverit, repente & ex toto ceffet: unde stomachus aliæque partes internæ in illum atoniæ ſtatum relabuntur, & forte majorem ejus gradum

ab extremis partibus communicatum accipiunt.
Quæ quidem omnia in ea podagræ specie, quam
retrogradam appellavimus, conspiciuntur.

C C C C X C I X.

Tertius, quo podagra a naturali cursu deflectit, modus est: si atoniā more solito antegressam reactio inflammatoria plenissime quidem sequitur, sed suam ad articulos determinationem aliqua de caussa exsequi non potest, ideoque ad partem quan-dam internam dirigitur, & in hac inflammationem atque illam rerum conditionem producit, cui nō-men *podagræ aberrantis* aut *deviæ* (*misplaced gout*) a nobis datum est.

D.

Hæc est nostra interpretatio multiplicis podagræ & variarum corporis sub hoc morbo conditionum. Eam cum morbi phænomenis tum œconomia animalis legibus congruam esse arbitramur. Evidem plures adhuc quæstiones circa morbi hujus theoriam proponi merentur, ad quas responsum a nobis nondum est. Licet autem harum multis satisfacere forte possemus, id tamen hoc loco non videtur necessarium, quoniam animus nobis est nunc ea tantum generalia facta stabili-re, quæ solidum curationis fundamentum jacent, quo usque scilicet experientia nobis adhuc per-mittit. Igitur varias propositæ pathologiæ partes,

tanquam totidem facta, habentes, quid ad morbi curationem conferre possint, investigabimus.

D I.

Dum therapiam ordimur, notandum primo loco est: curationem hujus morbi vulgo impossibilem fuisse habitam. Et nos fatemur, vero admodum simile esse, podagram, utpote totius corporis morbum, & a primitiva conformatione saepenumero proficiscentem, medicamentis sanari haud posse, quorum quippe effectus semper temporarii sunt, & raro magnam mutationem in toto corporis habitu producere valent.

D I I.

Et forte feliores fuissent podagrifici, si illam opinionem implicita fide adoptassent, quæ quippe eos potuisset tutos præstare contra insidias agyrtarum lucro studentium, qui vel vana medicatione homines hoc malo affectos ludificantur, vel remediis perniciosis in discrimen conjiciunt. Ego quidem facile credam, morbum podagræ medicamentis sanari haud posse; utique persuasum habeo, quantacunque medicamentorum vis esse queat, nullum tamen podagræ sanandæ part ad hunc usque diem inventum esse. Licet enim singulæ fere ætates novum quoddam remedium ostentaverint, omnia tamen ut commendata fuerunt, brevi post vel sunt neglecta tanquam inutilia, vel ob perniciem illatam prorsus infamata.

D I I I.

Quanquam in sananda podagra medicamentorum viribus non confidam, tamen contendō, vi-tæ regimen plurimum valere; atque ex observa-tione in §. CCCCLXI. notata firmiter persuasum habeo, nullum non hominem, qui a prima ætate assiduo labore corpus exercere, atque a cibo ani-mali abstinere se consuevit, ab hoc morbo pror-sus immunem futurum esse.

Utrum alia quædam via sit ad podagram ex to-to sanandam, nolim definite dicere.

Evidēt varii podagricorum casus notati sunt, in quibus morbi hujus symptomata subito sublata fuisse, nec postea unquam rediisse dicuntur, vel ani-mo vehementer commoto, vel vulneribus inflictis, vel aliis quibusdam fortuitis caussis. Utrum vero ars tales fortuitas curationes imitari possit, & quem successum in aliis casibus habituræ sint, profecto valde incertum est.

D I V.

Præcepta, quæ ad podagræ curationem utilia sunt ac necessaria, duobus titulis comprehendun-tur: unus est eorum, quæ extra paroxysmos ob-servari debent; alter illorum, quæ tempore pa-roxysmorum usu veniunt.

D V.

Indicationes extra paroxysmos sunt, cavere, ne

rever-

revertantur paroxysmi, vel saltem curare, ut minus frequentes & minus graves sint. In ipsis vero paroxysmis indicationes sunt, morbi vehementiam moderari, & durationem minuere, in quantum tuto fieri potest.

D V I.

Dixi jam in §. DIII., assiduo corporis exercitio & vietu tenui posse podagram penitus anteverti; & hæc opinio apud me ita prævalet, ut etiam ad homines hæreditaria morbi labe affectos illam prophylaxin pertinere putem. Nunc insuper addo, etiamsi diathesis per plures inflammatoriae podagræ paroxysmos jam manifestata fuerit, tamen labore & abstinentia reversiones morbi in omnem vitam certo præcaveri posse. Hæc igitur remedia sunt, quæ primæ indicationi, in lucidis intervallis observandæ, satisfaciunt; ideoque hoc loco, ut usus horum remediorum certior sit, nonnullas cautelas proponere debeo.

D V I I.

Exercitatio corporis apud homines ad podagram proclives duplicem scopum habet: unus est, ut tonus in extremis vasis augeatur; alter est, ut plethoricus antevertatur status. Quod priorem attinet: exercitium corporis valde moderatum sufficit, modo corpus in prima ætate illi assuefiat, priusquam intemperantia debilitatum est; quoad

posteriorem, dummodo abstinentia eodem tempore observatur, lenis quoque exercitatio erit necessaria.

D V I I I.

Circa exercitationes perpetuum præceptum est, ut numquam vehementes esse debeant. Si enim modum excedunt, cum diu protrahi nequeunt, tum atoniæ periculum tanto majus important, quanto vehementiores fuerunt.

D I X.

Notandum quoque est, gestationem, et si valida & constans est, si nullam prorsus spontaneam corporis ipsius motionem habeat junctam, proposito podagræ præcavendæ nequaquam satisfacere. Hunc enim ad finem oportet corpus suis viribus quodammodo exerceri, & moderate quidem, sed per omnem vitam assidue.

D X.

In omni podagræ casu & conditione, quamdiu æger membris suis uti potest, corporis exercitatio extra paroxysmos semper prodest. Eademque inter morbi initia, cum diathesis nondum valde obfirmata est, paroxysmum forte jam instantem antevertere valet. Postquam vero morbus invaluit & adolevit, acrior ambulatio potest paroxysmum, si corpus eo vergat, properare; sive quod tonum in artibus inferioribus labefactet, sive quod diathesin inflammatoriam in iisdem pro-

producat. Atque hoc modo nifus corporis fortiores, nec non contusiones, paroxysmum podagræ sœpenumero provocare videntur.

D X I.

Abstinentia, quæ pars altera est antipodagrici regiminis (§. DIII.), difficilius in usum dicitur. Evidem si homo mature, dum vigor corporis adhuc integer est, abstinentiam a vieti animali ordiatur, hanc omnino tutam & efficacem esse futuram, minime dubitamus. Sin vero talis diætæ consilium non ante ineat, quam corpus intemperantia vel ætate senescente fractum sit, utique periculum est, ne vietus tenuis atonicam conditionem importet.

D X I I.

Adhæc si diæta pertenuis ingravescente ætate demum inchoatur, præsertim si pristino vivendi modo valde adversaria sit, facile fieri potest, ut corpus stimulo, cui assueverat, orbatum in atonicam conditionem conjiciatur (§. CCCCLXVII.).

D X I I I.

Abstinentiæ, quam commendamus, securitas major aut minor erit pro vario, ad quem observatur, modo. Scilicet vietus animalis hominem imprimis ad plethoram ac inflammations proclivem facit, ideoque potissimum vitandus est. Sed ab altera parte vegetabilis materies, præsertim infir-

mior, periculum adfert, ne totum corpus, cum non satis inde nutriatur, nimium debile fiat, & magis etiam, ne tonus ventriculi ob facilem talis cibi acescentiam penitus labefactetur. Quamobrem viētum quasi medium eligi oportet. Et talem omnino *lac* præbet, utpote animalis æque ac vegetabilis naturæ particeps.

Lacti analoga & tamen ex herbario penu de-
sumta, sed præ ceteris vegetabilibus materie ali-
bili abundantia, sunt *semina farinacea*, quæ proin-
de reliquis præferri, atque lacti tanquam aptissi-
ma alimenta adjungi debent.

D X I V.

Quod potum attinet, fermentati liquores non nisi tunc prosunt, cum victui animali junguntur, quem quippe sua acescentia corrigunt. Eorum quoque stimulum sola consuetudo necessarium fa-
cit. Ubi igitur a cibo animali abstinetur, ibi liquores fermentati non sunt necessarii; quin imo nocere possunt, quatenus vegetabilium acescen-
tiam augment. Nec sane juniores & validi homi-
nes stimulo liquoris alicujus fermentati seu spi-
rituosi egent; quin potius ab eo saepe applicato labefactatum ventriculi tonum accipiunt. Quapropter vitandi omnino sunt tales potus, nisi quatenus consuetudo ac senescens vitæ vis ali-
quam eorum necessitatem inferat. Cæterum potus ad podagram regularem vel præveniendam vel moderandam aptus sola est *aqua*.

D XV.

D X V.

Circa hanc vitam abstemiam opinio invaluit, abstinentiam a cibo animali & potu quocunque fermentato, id est vitam lacte & farinaceis solis contentam, si per integri anni spatium continetur, radicali podagræ curationi sufficere. Et nihil quidem repugnat, quominus hanc abstinentiæ mensuram sub certis conditionibus ætatis & temperiei proposito satisfacere credamus. Sed tamen dubia omnino res est; & vero magis simile, abstinentiam ex magna parte continuari, & diætæ lacteæ per omnem vitam insisti debere. Utique certo constat, haud paucos homines hanc vitæ viam ingressos, quamdiu tenuerunt, a podagra immunes mansisse; cum vero ad pristinam plenioris victus consuetudinem redierint, idem malum pari veherentia atque prius passos esse, quin interdum forma minus regulari atque magis periculosa.

D X VI.

Ad podagræ redditum præcavendum, commendatæ passim sunt venæsectiones aut scarificationes pedum crebro & statim temporibus repetitæ; sed mihi de hoc auxiliī genere nihil per experimenta constat.

D X VII.

Exercitatio & abstinentia ad arcendam plethoram, quæ podagricam diathesin producit, aptæ sunt, ideoque a nobis cœū remedia, præveniendis poda-

græ

græ paroxysmis, aut saltem minuendo eorum numero & moderandæ vehementiæ idonea, habentur. Verum multæ sunt res, quæ necessariam in tali vitæ genere perseverantiam impediunt ; ideoque in hujusmodi casibus , nisi causæ excitantes sedulo vitentur, evenire potest, ut malum frequenter revertatur. Et sane multis in casibus paroxysmi plane anteverti nequeunt, nisi occasioales causæ in §. CCCCLXVII. recensitæ evitentur. Quæ evitatio qualem vitæ rationem postulet, satis apertum est omnibus, qui præcepta *Hygieines* perceperunt, quæ nos præsumimus cognita.

D X V I I I .

Debita in his causis fugiendis observatio accessiones podagræ certo præveniet ; neque dubium est, si modo caveatur, ne causæ excitantes unquam magno gradu applicentur, quin paroxysmi, quamvis redeant, mitiores sint futuri. In universum tamen apparet , totum vitæ habitum magna circumspectione instituendum esse ; ideoque morbum, ubi diathesis ejus invaluit, admodum difficiliter effugi posse.

D X I X .

Mihi quidem persuasissimum est, posse podagram omnino præveniri , si modo insitæ diathesi obviam eatur, & causæ , excitare eam solitæ , evitentur. Sed quoniam cautelæ, in exsequendo hoc proposito observandæ , cum per se difficiles sunt,

tum

tum animo ægrorum plerumque adversantur, hinc homines maximis studiis methodum medendi quæsiverunt, quæ vitæ libertati & jucunditati nihil detraheret. Cui desiderio inservientes Medici proposuerunt varia, eodemque quæstus caussa abutentes Agyrtæ finxerunt & ostentarunt quasi jam probata remedia, ut ante dictum est. Horum complura cujus ingenii fuerint, non satis scio. Verum, utut incognita sunt, cum tamen suam celebritatem ad breve tantummodo tempus sint tuita, deinde in contemptum venerint, merito vel inertia vel perniciosa fuisse creduntur; ideoque nos morari non debent. Proinde unum duntaxat & alterum ex cognitis podagræ remediis, quæ nuper in usu & honore erant, recensebo.

D X X.

Inter hæc eminet, qui in Anglia nominatur, *Portlandiæ pulvis*; medicamentum nequaquam novum, sed jam a Galeno descriptum, & deinceps, mutata passim leviter compositionis formula, ab omnium fere seculorum scriptoribus memoratum. Fatales habuit quasi ætates, ut per vices magni haberetur, deinde neglectum jaceret. Et ego quidem neglectum ipsi contigisse arbitror, eo quod multis perniciosum fuerit visum. Utique quoties me conscientia exhibitum & debito tempore usurpatum est, homines eo usi in posterum ab omni quidem articulorum inflammatione immunes manserunt; sed tamen multis podagræ atonicæ symptomaticis

matis vexati sunt. Cunctique paulo post finitam hanc medicationem vel apoplexia, vel asthmate, vel hydrope affecti perierunt.

D X X I.

Aliud remedium, quod præveniendæ podagræ aptum ferebatur, est *Alcali* sub varia forma, velut alcali fixum, tam ordinarium quam causticum, aqua calcis, sapo, ac terræ absorbentes. Scilicet ex quo tempore mos invaluit, nephritis & calculosis hujus generis remedia administrare, sæpe accidit, ut hominibus podagræ simul obnoxiiis darentur; & certa observatione compertum est, podagricos sub usu horum remediorum a morbi insultu diutius mansisse immunes. Nec tamen scio, podagræ redditum ab iis omnino suisse inhibitum; siquidem eorum usum numquam diu continuavi, veritus, ne diurna eorum administratione succi corporis corrumperentur.

D X X I I.

Circa podagræ prophylaxin unum adhuc monitum addere luet. Quum paroxysmos præveniendi ars in eo maxime versetur, ut ventriculi tonus fulciatur & cruditates vitentur, evidens est, alvum adstrictam, quæ his malis occasionem præbet, podagricis vehementer obesse. Necesse igitur est, adstrictionem ventris vel præveniri, vel, si opus sit, dato etiam cathartico removeri; sed tamen curandum est, ut medicamentum ejus sit gene-

generis, quo alvus regularis servetur, neutquam fortiter ducatur. Quem ad finem aloëtica, rheum, magnesia alba, vel flores sulphuris adhiberi possunt, prout unum ex his vel alterum cuiusque ægri naturæ melius respondet.

D X X I I I.

Huc usque (a §. DV. ad §. DXXII.) illa exposui auxilia, quæ medio inter paroxysmos tempore usu veniunt. Proximum est, ut ea proponam, quæ præsenti malo congruunt.

D X X I V.

Quandoquidem durante paroxysmo corpus in febrili affectu versatur, oportet omnia, quæ irritationem augere possunt, evitari; ideoque regimini antiphlogistici (§§. CXXIV. CXXV) nullam non partem accurate observari. Excipi tamen debet frigoris applicatio. Et altera quoque ab hac regula generali exceptio occurrere potest, si nempe tonus ventriculi labefactatus sit, vel si æger generoso potui valde fuerit assuefactus; tunc enim non modo permisus, sed subinde necessarius est, modicus cibi animalis & vini quoque usus.

D X X V.

Evidem omnes Medici in hoc consentiunt, nullam irritationem corpori, dum podagrico laborat paroxysmo, adhibendam esse; sed difficilior,

quæ-

quæstio supereft: utrum eo tempore liceat remediis quibusdam uti, ad reæctionem nimiam & inflammationen moderandas accommodatis. Cl. *Sydenhami* animadversio est: quo graviores inflammatio & dolor sint, hoc breviores paroxysmos, eoque intervalla inter eos longiora fore. Hæc opinio, si tanquam vera assumitur, nullum remediis ad moderandam inflammationem comparatis locum relinquit. Et sane dubium non est, quin certus inflammationis gradus ad instaurandam ægri sanitatem necessarius sit. Verum ab altera parte dolor acutus opem flagitat. Et quanquam inflammatio prorsus necessaria esse videatur, dubitare tamen nobis licet, anne moderatior ejus gradus sufficiat? Quin etiam vero simile est, vehementiore inflammatione in multis casibus partiū tonum labefactari; adeoque reversionem paroxysmi properari. Hæc sane, meo quidem judicio, cauſa est, cur, dum morbus ætate invalescit, frequenteres paroxysmi esse solent.

D X X V I.

Animadversiones, quas modo proposui, indicare videntur, nonnulla in ipso paroxysmo ad moderandam inflammationis ac doloris vehementiam cum fructu adhiberi posse; & maxime quidem in primis paroxysmis & in junioribus vegetisque corporibus sanguinem ex brachio utiliter mitti. Hoc tamen non posse tuto sæpius fieri, persuasum habeo; siquidem detractio sanguinis non

non modo tonum corporis frangit, sed producendæ etiam plethoræ favet. Interim credo licere sanguinem per hirudines, pedi & ipsi inflammato loco admotas, extrahi, nec tantum semel, sed sine periculo aliquoties. Utique exempla novi, in quibus beneficio hirudinum paroxysmi cum mitiores tum breviores sunt facti. Quousque autem hæc encheiresis tuto perduci queat, nobis nondum fatis ab experientia demonstratum est.

D X X V I I.

Præter sanguinis detractionem & regimen antiphlogisticum, sunt etiam proposita ejus generis remedia, quæ inflammatorium partis affectæ spasmini solvere queant, velut balneum calidum, & cataplasma emollientia. Et hæc nonnumquam utiliter ac tuto sunt adhibita; sed tamen subinde retrocedenti podagræ occasionem dedisse visa sunt.

D X X V I I I.

Vesicatio quoque efficacissima est in levando & discutiendo podagræ paroxysmo; sed frequenter etiam retrogressæ causa fuit.

D X X I X.

Urticationem vesicatorio analogam habeo; & pari comitatam discriminè esse suspicor.

DXXX.

Ustionem cum moxa aliisve rebus factam ejusdem generis remedium esse arbitror; cuius tamen neque noxios effectus neque sanandi virtutem plenissime mihi experientia adhuc comprobavit.

DXXXI.

Camphora & olea quædam aromatica facultatem habent doloris levandi ac inflammationis a parte affecta removendæ. Eadem tamen plerumque hoc tantum faciunt, ut inflammationem ab una in aliam partem transferant; unde periculum est, ne illam in nobiliorem aliquam partem impellant. Et certe retrocedentem quandoque podagram effecerunt.

DXXXII.

Ex his observationibus (§. DXXVII. & seq.) apertum est, omnia remedia externa, partibus affectis durante paroxysmo applicata, periculi non nihil adferre; adeoque praxin vulgo receptam, secundum quam æger soli patientiæ & pannis laniis committitur, optimam tutissimamque esse.

DXXXIII.

Opiata cæteris certius adferunt doloris levamen; sed sub initialibus paroxysmis si exhibeantur, recidivas vehementiores invitant. Postquam vero violentia paroxysmorum remisit, sed tamen morbus

bus identidem recrudescens noctes præ dolore insomnes facit, tunc utique opiata tuto & utiliter administrantur; præsertim si ægrotantes ætate jam proiecti sint, & morbo sæpius ante afflicti fuerint.

D XXXIV.

Finitis paroxysmis si quis tumor & rigor articulorum remaneat, hæc symptomata assiduo strigilis usu (*flesh-brush*) discutienda sunt.

D XXXV.

Alvi ductio, protinus post paroxysmum finitum facta, recidivæ periculum nunquam non inducit.

D XXXVI.

Absolvi, quæ mihi circa podagræ regularis prophylaxin & curationem utiliter dici posse videbantur. Nunc modum proponam, ad quem agere oportet, si podagra evaserit irregularis, cuius quidem tres, ut ante dixi, species sunt.

D XXXVII.

In primo casu, cui nomen *podagræ atonicæ* dedi, curatio perficitur evitando studiose causas omnes, quæ corpus debilitant, eodemque tempore administrando ea, quæ universum corpus imp�misque ventriculum roborant.

DXXXVIII.

Quod modum causas debilitantes vitandi attinet, ad *Hygieines* præcepta lubet provocare, ut in §. DXVII.

DXXXIX.

Ut corpus universum firmetur, frequens equitatio & ambulatio moderata maxime sunt commendabiles. Balneum quoque frigidum eidem scopo respondet, ac tuto adhibetur, modo apparet corpus sub ejus usu potenter stimulari; neque permittatur, dum extremæ corporis partes doloribus tentari incipiunt.

Ut tonus corporis in universum fulciatur, quando podagra atonica impendet, e re est, cibi animalis aliquid concedere, ac vegetabilia nimis acescentia vetare. Atque etiam vinum in hoc casu subinde necessarium est; sed modicum dari oportet, & ejus generis, quod minime acescat. Quodsi omnia vini genera acorem stomachi augere deprehendantur, expedit, spiritus ardentes aqua temperatos adhibere.

DXL.

Ad confirmandum stomachum licet amara & corticem peruvianum administrare, ea tamen cautione, ne assidue ad longum tempus adhibeantur.

Medicamentum ventriculo firmando aptissimum est ferrum, quod variis sub formis recte dari potest; sed mihi tamen cæteris martialibus præstantior esse

esse videtur rubigo subtiliter pulverata , quam liberalissimis dosibus exhibere licet.

Ut tonus ventriculi fulciatur , aromatica dari possunt ; sed horum tamen usus circumspectionem postulat ; quoniam si frequens & liberalis conceditur , facile effectum contrarium edere potest . Ideoque in universum permitti non debet , nisi vel antegressæ consuetudini vel symptomatibus præsentibus succurrendum sit.

Si ventriculus cruditati obnoxius est , convenit leniora emetica frequenter dari ; pariterque ad præcavendam vel removendam alvi adstrictionem apta cathartica semper adhiberi debent.

D X L I.

Sub podagra atonica vel in hominibus eidem obnoxiis maxime curandum est , ut frigus evitetur ; cui quidem scopo nihil melius responderet , quam ut æger hyemem in regione calidiore transfigat.

D X L I I.

Si graviores sunt podagræ atonicæ casus , vesicatoria artubus inferioribus adhibita prodesse possunt ; quod tamen remedium , ubi dolor extremis partibus minatur , vitari debet . Neque alienum est , in hominibus atonicæ podagræ obnoxiis fonticulos ad extremas partes excitare , quippe qui vicem ipsius morbi quodammodo supplent.

D X L I I I.

Altera podagræ irregularis species est, quam retrocedentem vel retrogradam diximus.

Hæc si stomachum & intestina afficit, protinus succurrentum est dato liberaliter vino generoso, eoque aromaticis additis calefacto; quæ si non satis valida sint, oportet ad spiritus ardentes venire & hos etiam larga manu dare. Ubi impetus morbi non valde vehemens est, spiritus ardens allio vel aſa foetida imprægnatus, quin, misso spiritu, sola aſa foetidæ solutio, in volatili alcali facta, satisfaciunt. Opiata ſæpe promptum auxilium ferunt, eaque vel aromaticis, ut in electuario thebaïco, vel alcali volatili & camphora jungi utiliter possunt. Moschum quoque in hoc morbo profuſe conſtat.

Si affectionem ventriculi comitatur vomitus, hic initio promovendus est haſtu vini calidi, primum aqua temperati, dein meri, per vices sumto; tandemque si res postulat, deveniendum est ad medicamentum aliquod ex iis, quæ modo memoravi, imprimis ad opiate.

Pariter, si intestina diarrhoeam patiantur, convenit hanc primo incitare liberali usu tenuioris jusculi; deinde, ubi ſatis elota ſunt intestina, turbas datis opiatis compescere.

D X L I V.

Si forte podagra retrocedens pulmones occupet, & asthma producat, hujus curatio sit opiatis & antispasmodicis. Neque aliena forte sunt vesicatoria pectori aut tergo imposita.

D X L V.

Quando podagra relictis partibus extremis caput impedit, & dolorem, vertigines, apoplexiam vel paralysin producit, tunc artis auxilia valde incerta sunt. Remedium cæteris probabilius est vesicatio capitis; atque ipsis etiam partibus extremis, si a podagra omnino desertæ sint, vesicatoria applicare convenit. Eodemque tempore aromatica & alcali volatile in stomachum dari possunt.

D X L V I.

Tertia podagræ irregularis species est, quam aberrantem vel deviam nomino (*misplaced gout*), cum scilicet inflammatio arthritica non in artus corporis, ut debet, erumpit, sed partem quamdam internam occupat. In tali casu oportet morbum venæsectione & cæteris remediis, quæ idiopathicæ ejusdem partis inflammationi convenient, tractari.

D X L V I I.

Utrum frequens illa translatio, ab extremis partibus ad renes fieri solita, exemplum aberrantis poda-

podagræ haberi debeat, valde, ut ante diximus, incertum videtur. Ego tamen malim credere, rem prorsus diversam esse; ideoque existimo, in *Nephralgia calculosa*, quæ hoc in casu producitur, remedia contra inflammationem non debere ultra eam adhiberi mensuram, quæ in eodem morbo, ex causis a podagra diversis nato, interdum necessaria est.

Finis Tomi Primi.



